





Rep. LXXV.

3.

no. 89.

18978

2826

SCHACHIA.

## M. HIERONYMI

VIDÆ CREMONENSIS, POETÆ  
VENUSTISSIMI;

Ludus

INGENII, VIRTUTIS ET HONESTÆ  
voluptatis, apprimèq; cum heroicæ tum literariæ co-  
horti conveniens, notis quibusdã & certis  
illustratus *κειμελίσ*, in quibus  
de eiusVSV, ORIGINE, ET AVTORE, NEC NON  
latrunculis, eorumque numero, ordine, nominibus, stati-  
onibus, incessibus, officijs, *επιχειρίσι* etiam, totoque ludendæ  
artificio breviter ac certo ordine agitur: adeo ut omni diffi-  
cultate, *ε* qua hactenus plurimum laboravit, obscuritate  
*ε* ambiguitate sublata, à quolibet proprio nunc mar-  
te addisci *ε* commodè exerceri possit  
operâ *ε* studio

LUCÆ WIELII LIGIO-SILESII

Annō *παρθενότητος*Ne lateant te fata hominis pendente *ε* filo: (1604)

ARGENTINÆ.

Impensis Pauli Ledertz Bibliopolæ.

REVERENDISSIMO  
 ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI  
 AC DOMINO, DN. IOANNI GEORGIO PO-  
 stulato & Electo Administratori Episcopatus  
 Argentinensis: Landgravio Alsatiae: Mar-  
 chioni Brandenburgensi, Borussiae, Steti-  
 ni, Pomeraniae, &c. Duci.

καλλιςτε καὶ Ὀδαμονέστατα  
 Ἀγγεῖν.



*Mortalium quisquis sibi plurimos  
 Quò annos reponat pungitur acrius,  
 Dux semper ILLUSTRIS-  
 SIME, Ô ES  
 Praesidium decus ac corona  
 Turba novena, ES summa petentium  
 Ardore montis culmina debito  
 Parnassi asylum: Sed videre  
 Vix decimo ut Phaëtonis ortus  
 Possit recessusque incolumi pede  
 Est cura. Verum vita quid? anxie  
 Quam vexat ES frangit diurnus,  
 Languor, ES exedit aegritudo  
 Acer medullas? Non ego per Deum  
 Vitam, gravis sed tormina dixerim  
 Angoris ES poenas perennes  
 Corporis, haud homini expetenda.  
 Hinc*

Hinc, ut salubri suaviter omnibus  
Aurâ queamus vescier horulis,  
Donec resumat spiritum, qui  
Est Dominus dormitorque mortis,  
Præcepta certis singula legibus  
Scripsere, multam Rector Hyantidum  
Queis artis affudit virorum  
Clara cohors sapientiorum.

Ne corpus, aiunt, occupet improbus  
Humor situsque, exerce laboribus  
Artus parum, victus sit aptus  
Et moderata quies, malignum

Vita aërem, et curis gravioribus  
Ludicra quandoque adyce, libero  
Vel letus in campo resultans  
Aut viridi tacitoque luco.

Vel sub lare inculto genus optimum  
Ludi, ac suave atque utile, nobile  
Diumque versando, quod addat  
At sua munia cuique calcar.

Hoc quis latronum schacchica praelia  
Prestare posse audaculus ausiet  
Infringere unquam? Namque in usu est  
SCHACCHIA principibus frequenti  
Et regibus, magnatibus, ac quibus  
Vel publica est res atque domestica,  
Vel gratiosæ sunt sorores  
Sicelides studio atque cura.

A 2

*Res lusibus (mirum) exiguis latent*  
*His ardua, Martis stratagemata,*  
*Munitio, ictus seniores,*  
*Consilia, insidiæ phalangu.*  
*Iam nunc minaci murmure regibus*  
*Fata indicantur, bellua mox furit,*  
*Bellona iam cursu citato*  
*Terret equos, peditumque turmas.*  
*Optanda mentis nec recreatio*  
*Hic est minor: quin ingenium probat,*  
*Et pectoris secretiores*  
*Detegit haud temerè recessus.*  
*Me CELSIT V D O plura vetat T V A*  
*De heroicis præfariet vsibus*  
*Latrunculi, curarum amara*  
*Quæ solet aspera que hoc humare:*  
*Suetas rata inter delitias p̄j*  
*Industriique has SCHACCHIÆ amabiles*  
*Pugnas Gubernatoris omni*  
*Tempore plurima præstitisse.*  
*Vnum oro, clementi data NOMINIS*  
*Titlo Tui nunc ludicra prælia*  
*Vultu tuendo infirmiozem*  
*Respicias redamesque, Musam.*  
*Non frigida olim respuit haustulum*  
*Vndæ Imperator Persiæ (ut asserunt*  
*Docti) manu oblatum miselli*  
*Agricolæ: placuit I E H O V Æ*  
*In gente*

*In gente sacrâ saepe teruncius  
Paupercula plus pondere divitis*

*Argenteo: parvis suëvit*

*Nam quoque pondus inesse rebus*

*Vive ergo sospes semper & ipsius,*

*Insigne sidus, secula Nestoris,*

*Nostrum, vide, PRINCEPS, bonorum*

*Quod reliquũ adiciet IEHOVAH.*

*Illustriss. T. C,*

*Subiectissimus cliens*

*Lucas Wielius Ligio-filesius,*

**M. HIERONYMI VIDÆ CREMO-  
NENSIS SCHACHIA**

**Ludus,**

**L***udimus effigiem belli, simulataque veris  
Prelia, buxo acies fictas, & ludicra re-  
gna,*

*Vt gemini inter se reges albusq; nigerque*

*Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.*

*Dicite Seriaes Nymphæ certamina tanta*

*Carminibus prorsus vatum illibata priorum.*

*Nulla via est. tamen ire iuvat, quo me rapit ardor,*

*In viaque audaci propero tentare iuventa.*

*Vos per inaccessas rupes, & inhospita euntem*

*Saxa Deæ regite, ac secretum ostendite callem.*

*Vos huius ludi in primis meminisse necesse est.*

*Vos primæ, studia hæc Italiam monstrastis in oris,*

*A 3*

Schacchidis egregie monumentum in signe sororis:  
 Iuppiter Aethiopum sedes, & Memnonis arva  
 Iverat, Oceani mensas dignatus amici,  
 Qui sibi tum optatis iunxit Tellurem Hymenaeis,  
 Affuit una omnis superum chorus, omnia festo  
 Aequoris immensi resonabant littora plausu.  
 Ut dapibus compressa fames, mensaeque remota,  
 Quo superum mentes ludo mulceret inani,  
 Oceanus tabulam adferri iubet inter pictam.  
 Sexaginta insunt & quattuor ordine sedes,  
 Octono parte ex omni via limite quadrat  
 Ordinibus paribus, nec non forma omnibus una  
 Sedibus, equale & spacium, sed non color unus.  
 Alternant semper varia, subeuntque vicissim  
 Albentes nigris, testudo picta supernè  
 Qualia de vexo gestat discrimina tergo.  
 Tum superis tacite secum mirantibus inquit:  
 Marti aptam sedem, ludicraque castra videtis,  
 Hoc campo adversas acies spectare licebit  
 Oppositis signis belli simulachra ciere,  
 Quae quondam sub aquis gaudent spectacula tueri  
 Nereides, vastique omnis gens accola ponti,  
 Si quādo placidū mare, & humida regna quierunt.  
 En vero simulata adsunt qui praelia ludant.  
 Sic ait, & versa in tabulam deprompsit ab urna  
 Arte laboratam buxum, simulataque nostris  
 Corpora, torno acies fictas albasque nigrasque.  
 Agmina bina pari numeroque & viribus aequis,  
Bis



Bis nivea cum veste octo, totidemque nigranti.  
Vi variae facies, pariter sunt & sua cuique  
Nomina diversum munus, non equa potestas,  
Illic & reges paribus capita alta coronis,  
Et regum pariter nuptas in bella paratas  
Cernere erat: sunt qui pedibus certamina inire  
Sueti, sunt & equis qui malint, quique sagittis,  
Nec deest quæ ferat armatas in prælia turres  
Bellua, utrinque Indos credas spectare Elephantes.  
Jamque aciem in versum statuunt, structæque cohortes  
Procedunt campo, castrisque locantur utrisque.  
Linea principio sublimes ultima reges  
Parte utrâque capit, quartis in sedibus ambos  
Tractu eodem adversos inter se, sex tamen equis.  
In medio sedes spacijs hinc inde relictae.  
Sede albus sese nigra tenet, ater in alba.  
Proxima reginas capit orbitaregibus amba  
Herent quæque suo, dextrum latus altera, levum  
Altera lege datis tangunt stationibus, atrumque  
Atra tenet campum, spacio stat candida in albo,  
Et proprium servant prima statione colorem,  
Inde sagittiferi iuvenes de gente nigranti,  
Stant gemini, totidem pariter candore nivali  
Nomina Areiphilos Graij fecere vocantes,  
Quod Marti ante alios chari fera bella laceffant.  
Continuò hos inter rex, nec non regia coniunx  
Clauduntur medijs, duo dehinc utrinque corusci  
Auratis equites sagulis, cristisque decori

A 4.

Cornipides in aperta parant certamina Martis.  
Tum geminae velut extremis in cornibus arces,  
Hinc atque hinc altis stant propugnacula muris,  
Quas dorso immanes gestant in bella Elephanti  
Postremo subeunt octo hinc, atque inde secundis  
Ordinibus pedites, castrisque armantur, utrisque  
Armigeri partim regis, partimque ministrae  
Virginis armiferae, quae prima pericula belli  
Congressusque ineant primos, pugnamque lacestant:  
Non aliter campis legio se buxera utrinque  
Composuit duplici digestis ordine turmis,  
Adversisque ambae fulsere coloribus aë,  
Quam Gallorum acies Alpino frigore lactea  
Corpora si tendant albis in praelia signis  
Aurora populos contra, & Phaëtonte perustos  
Insano Aethiopas, & nigri Memnonis alas.

Tum pater Oceanus rursus sic ore locutus:  
Calicole iam quenam acies, quae castra videtis,  
Discite nunc (neque enim sunt haec sine legibus arma)  
Certandi leges, nequeant quas tendere contra.  
Principio alterni reges in praelia mittunt  
Quem pugnae numero ex omni elegere suorum.  
Si niger arma ferens primus processit in equos,  
Continuo adversum semper se candidus offert.  
Nec plures licet ire simul facto agmine in hostem.  
Propositum cunctis unum, studium omnibus unum  
Obsessos reges inimicae claudere gentis,  
Ne quo impune queant fugere, atque instantia fata

Evi.

Evitare, etenim capiunt ita praelia finens,  
Haud tamen interea cuneis obstantibus ultro  
Parcunt, sed citius quò regem sternere letho  
Desertum evaleant, cadunt ferro obvia passim  
Agmina, rarefcunt hìc illìc funere semper  
Vtraque castra novo, magis ac magis area belli  
Picturata patet, sternuntque caduntque vicissim.  
Sed cadentem opus est sublato protinus hostis  
Successe loco, & conatus vindicis ala  
Sustinuisse semel. Mox si vitaverit ictum  
Inde referre licet se in tutum præpete planta.  
At pedites prohibent leges certaminis unos  
Cum semel exierint (facilis iactura) reverti,  
Nec vero incessus cunctis bellantibus idem,  
Pugnandivè modus. Pedites in praelia euntes  
Sæva valent unam tantum transmittere sedem,  
Inque hostem tendunt adversi, & limite recto.  
Congressu tamen in primo fas longius ire,  
Et duplicare gradus concessum, at cominus hostem  
Cum feriunt, ictum obliquant, & vulnera furtim  
Intentant semper lateri, cavaque ilia cadunt:  
Sed gemini claudunt aciem qui hinc inde Elephant  
Cum turres in bella gerunt, ac praelia miscent,  
Rectâ fronte valent, dextrâ, levâque, retroq;  
Ferre aditum contra, campumque impune percurrunt.  
Proruerè, ac totis passim dare funera castris.  
Ne tamen obliquis occultent nixibus ictum,  
Qui tantum mos concessus pugnantibus arcu

A 0

Dilectis Marti ante alios. Nam semper uterque  
 Fertur in obliquum, spatijs nigrantibus alter.  
 Alter candenti semper se limine versat,  
 Directisque ineunt ambo fera bella sagittis,  
 Nec variare licet, quamvis fas ire per omnem  
 Hinc atque hinc campū, atq; omnes percurrere sedes  
 Insultat sonipes ferus, atque repugnat habenis.  
 Nunquam continuo stipata per agmina ductu  
 Procurrit: tantū sursum sese arduus effert  
 Semper & in gyrum gressus magno impete lunat  
 Curvatos, duplicemque datur transmittere sedem.  
 Si nigrante prius campo expectaverit, album  
 Mox petere, & sedis semper mutare colorem  
 Lex iubet, ac certo semper se sistere saltu.  
 At regina furens animis pars optima belli  
 In frontem, in terga, ac dextram, levamq; movetur  
 Itque iter obliquum, sed semper tramite recto  
 Procedit, neque enim curvato insurgere saltu  
 Cornipedum de more licet: non terminus olli,  
 Nec cursus meta nulla datur; quocunque libido  
 Impulerit, licet ire, modo ne ex agmine quisquam  
 Hostilivè suovè aditus occultat eunti.  
 Nulli etenim semper ducto fas agmina saltu  
 Transilisse, equiti tantum hæc concessa potestas.  
 Cantius arma movent gentis regnator uterque,  
 In quibus est omnis spes, ac fiducia belli.  
 Omnibus incolumi Duce stat concernere ferro:  
 Sublato pugna excedunt, & castra relinquunt.

Ille

Ille adeo in bello captus secum omnia vertit.  
Ergo haerens cnuclatur, eū venerantur, & omnes  
Agmine circumstant denso, mediumque tuentur.  
Vique armis saepe eripiant, sua corpora letho.  
Obiiciunt, mortemque optant pro rege pacisci;  
Non illi studium feriendi, aut arma ciendi.  
Se tegere est satis, atque instantia fata cavere.  
Haud tamē obtulerit se quisquā impune propinquū  
Obuius, ex omni nam summū parte nocendi  
Ius habet ille quidem haud procurrere longius ausit:  
Sed postquam auspicijs primis progressus ab aula  
Mutavit sedes proprias, non amplius uno  
Vlterius fas ire gradu, seu vulneret hostem  
Seu vim tela ferant nullam, atque innoxius erret.

Hic mos certandi, haec belli antiquissima iura.  
Nunc aciem inter se certantes cernite utranque.

Sic ait at quoniam quoties fera bella fatigant:  
Mortales, superi studijs diversa foventes  
Ipsi etiam inter sese odijs bellantur iniquis,  
Maximaeque interdum toto ardent praelia caelo,  
Iuppiter omnipotens solio rex fatus ab alto,  
Omnes abstinuisse iubet mortalibus armis,  
Atque minis, ne quem foveant, perterret, acerbis.  
Tum phœbum vocat intonsum; Atlantisque nepotē  
Egregium furto peperit quem candida Maia,  
Insignes ambos facie, & florentibus annis,  
Nondum Mercurius levibus talaria plantis  
Addiderat: nondum Titania lumina agebat

Per

Per liquidum curru gemmato Phoebus Olympum,  
Tantum humeros pharetra insignis, & crinib. aureis.  
Hos pater adversis solos decernere iussit  
Inter se studijs, & ludicra bella fovere,  
Ac partes tutari ambas, quas vellet uterque,  
Nec non proposuit victori premia digna.  
Dij magni sedere. Deum stat turba minorum  
Circumfusa. Cavent sed lege & foedere pacto.  
Nec quisquam voce, aut nutu ludentibus ausit  
Prævisos monstrare ictus, quem denique primum  
Sors inferre aciem vocet, atque invadere Martem,  
Quæsitum, primumque locum certaminis albo  
Ductori tulit, ut quem vellet primus in hostem  
Mitteret: & sanè magni hocce referre putabant.  
Tum tacitus secum versat quem ducere contra  
Conveniat, peditemque iubet procedere campum  
In medium, qui reginam dirimebat ab hoste.  
Ille gradus duplices superat, cui tum arbiter acer  
Ipse etiam adversum recto de gente nigranti  
Tramite agit peditem, atque iubet subsistere contra  
Advenientem hostem, paribusq; occurrere in armis.  
Stant ergo adversis inter se frontibus ambo  
In medijs campi spacijs, ac mutua tentant  
Vulnera nequicquam, neque n. vis ulla nocendi st  
Armigeris, tractu dum miscent prælia eodem.  
Subsidio socii dextra, levaque frequentes  
Hinc atq; hinc subeunt, late & loca milite complent.  
Alternantq; vices. Nec dum tamen horrida miscent  
Præ-

Prælia, dum placidus mediis Mars ludit in armis,  
Excursusque breves tentant, tutique tenent se.  
Iamque pedes nigri Rectoris, qui prior hostem  
Contra iyt, obliquum levam clam strinxerat ensem,  
Atque album e medijs peditum citus abstulit armis,  
Illiusque locum arripuit præstantibus ausis,  
Ah miser, instantem lateri non viderat hostem.  
Ipse etiam cadit, & pugnas in morte relinquit.  
Tum cæcus fuscæ regnator gentis ab aula  
Subduxit sese mediâ, penitusque repõstis  
Castrorum latebris extrema in fauce recondit,  
Et peditum cuneis stipantibus abditus hæsit.  
Nec mora surgit eques bellator levis utrinque,  
Et medijs hinc inde insultans cæcibus ambo,  
Alternique ruunt, & spargunt fata per hostes,  
Sternuntur pedites passim miseranda iventus,  
Quod nequeant revocare gradum, sonat ungula cæpo  
In medio & totis miscentur funera castris,  
Dum vero peditum intentus Latonius heros  
Cæcibus instat atrox, equitemque per agmina versat  
Vastatorem ala piceæ, longè Arcada maior  
Ardor agit tacitis iam dudum invadere furtis  
Magnum aliquid, peditumque ultra sæpe obviam trãsit  
Agmina, cornipedem ducens in prælia levum,  
Qui regi insidias tendens huc vertitur atque huc,  
Per mediosque hostes impunè infrenis oberrat.  
Constitit, optataque diu statione potitus  
Lethum intentabat pariter Regique Elephantique,  
Ala

Ala qui dextro cornu turritus in auras  
Attollens caput ingenti se mole tenebat.  
Delius ingemuit clauso succurrere regi  
Admonitus, namq; indefensū in morte Elephantem  
Linquere se videt, atque ambos non posse periculo  
Eripere & fatis urgeri cernit iniquis.  
Cura prior sed enim est trepidum defendere regem,  
Quem rapit in dextrum latus: at niger emicat ense  
Stricto eques, & magnis Elephantē intercipit ausis.  
Dānū ingens, neq; enim est seve post virginis arma  
Bellantum numero ex omni magis utilis alter.  
Non tamen impunè evades ait acer Apollo,  
Et peditum cuneis, densaque indagine cingit,  
Ille igitur trepidare metu, certique pericli  
Frustravelle fugā, nam hinc fata minatur Amazon  
Inde obstat conferta phalanx, tandem altius acto  
Virginis ense cadit, pulchrae solatia mortis.  
Aestuat alba cohors latere heu minus utilis uno,  
Et magis, atque magis furit acri accensa dolore.  
Sicut ubi dextrum taurus certamine cornu  
Amisit, dum se adverso fert pectore in hostem,  
Sevior in pagnam ruit armos sanguine, & alte  
Colla animosa levans, gemitu omnis sylva remugit.  
Talis erat facies, cæsi post fata Elephantis  
Candentis turme. Hinc furiis maioribus ardet  
Phœbus, & ultrices hortatur in arma cohortes,  
In ferrum, & cedes pronus, cupidusque nocendi,  
Incantusque ambas perdit sine lege phalangas.

Dum-



Dumque hostes pariter cernit procumbere victos  
Ipse suos morti indefensos obicit ultro.  
Mercurius melior furto cunctatur, & haerens  
Usque alium ex alio spectando praevidet ictum.  
Saepe ille ex longo meditatus fata superba  
Reginae peditem perdendum cominus offert,  
Disimulatque dolos, mox penitet, & trahit alto  
Improbis errorem fingens, suspiria corde.  
Iamque sagittiferi è dextro glabra spicula cornu  
Virginis in latus albentis tendebat: id hostis  
Haud primum sensit, peditemque trahebat in atrium  
Levâ aciem rerum ignarus. verum improba cladem  
Et tantas Erycina Venus miserata ruinas  
Incauto inveni furtim tacito innuit ore,  
Atque oculis, (phaebo nam forte adversa sedebat)  
Nulla mora, ad nutus divae tremefactus Apollo  
Constitit, atque oculis late agmina circumspexit:  
Et subito insidias sensit, peditemque retraxit,  
Quem contra impulerat dextra impiger atq; periculo  
Reginam eripuit. Tum Maia Atlantide cretus  
Littoreum caveae concessum vocibus implet,  
Reginam captam ingeminans, fremit undique turba  
Calicolum studiis variis seseque trahitur  
Phœbus, & his alto fatur de littore verbis:  
Quae porro invidia est dextram ludicra petenti  
Praemia corrigere incautam, in meliusque referre  
Cum nec pacta vetent? Quod si Maia sate posthas  
Id sedet omnino prohiberi, lege caveto:

Qui

Quique prior fuerit digitis impulsus in hostens  
Sive albus piceusve fuat, discrimine nullo  
Ille eat, & dubij subeat discrimina Martis.  
Dixit, & hæc toto placuit sententia circo  
Celicolis. Venerem obtutu clam versus acerbo  
Iuppiter increpuit, nec sensit filius Arcas.  
Sed puer ingemuit labefactus corda dolore  
Ingenti. vix se tenuit quin ludicra castra,  
Iniectisque acies manibus confunderet ambas.  
Tum secum statuit furtis certare, dolisque  
Omnibus, ac totis fraudes innectere castris.  
Iam tum igitur iuvenem pharetratū in prælia ducens  
Cornipedis simulare gradus iubet. Ocyus ille  
Emicat, atque albæ reginæ fata minatur.  
Non phœbum latuere doli, subrisit, & ore  
Versus ad astantes: quamvis accommoda furtis  
Mercurio sit dextra, inquit, fraudique, dolisque  
Callide Atlantiada invigiles, haud me tamen ultra  
Fallere erit, iamque improbe iniquam corrige dextram.  
Spectantum cunei ingenti risere theatro,  
Atque Arcas, veluti deceptus imagine falsa,  
Summisit buxum concesso in prælia gressu  
Arcum intendentem, vigilat iam cautus Apollo  
Fraudesque, insidiasque timens, occulti aque furti.  
Ille etenim persepe, manu dum ducit in hostes  
Alternam buxum, ius contra, & fœdera pacta  
Implicitans eeleres digitos duo corpora bello  
Obiectat simul, observet nisi providus hostis:

Iam

lamque equitem contra nigrantem candidus arcū  
Intendens sese opposuit pharetratus, & arcet  
Reginæ iugulo intentum. Tum dexter oberrat  
Huc atque huc Elephas, niveisq; exultat in armis.  
Hæserat in medio, Domine, regique minatus  
Albus eques ratus impune, & iam sorte superbus  
Ne quicquam spoliolorum animam pascebat amore.  
Non tulit hanc speciē iuvenis pharetratus, & arcis  
Contendit calammum, seseque immittit in hostem,  
Fata licet pedes intentet, moriturus in armis  
Insigni pro laude, alvo mediæ hæsit arundo  
Stridula, & ima chalybs descendit in ilia adactus,  
Volvitur ille excussus humique, & calcibus auras  
Verberat: in ventos vita indignata recessit.  
Inde sagitti ferum sternit pedes, hunc pedes alter  
Hostili de plebe necat: pugna aspera surgit  
Turribus occurrunt ingenti mole Elephanti  
Sæva pharetrigeri contendunt spicula nervis,  
Quadru pedumq; gemit bicolor sub verbere campus,  
Incaluere animi parte ex utraque, & in armis  
Concurrunt densi simul omnis copia gentis  
Albæque piceæque duces, ambæque phalanges,  
Confuseque acies magno certamine totis  
Densantur campis, virtus, fortunaque in unum  
Conveniunt. Hi nunc victores agmina versa  
Aequore agunt toto, versis referuntur habenis  
Nunc ydem, variantque vices, & fluctuat omnis  
Area bellorum: vasti velut æquoris undæ

B

Si quando inter se recluso carcere seua  
Bella cient animosi Curi, vertuntque profundum  
Ionio in magno, aut undisono Atlanteo,  
Alternosvolvunt procurva ad littora fluctus.  
At medias acies inter crudescit Amazon  
Candida plena animis, multisq<sub>3</sub> in millibus ardet.  
Namq<sub>3</sub> sagittiferū incurfans, rediensq<sub>3</sub> Elephantē  
Nigrantes sternit dextra, lavaque per alas  
Fulminat, atq<sub>3</sub> manu spargens hastilia sevit.  
Bellanti dant tela locum, retroq<sub>3</sub> residunt  
Hinc, atque hinc inimicæ acies: per tela per hostes  
Illa ruit pulchram in mortem, simul ultima tentat  
Castrafugæ fidens, animosq<sub>3</sub> in bella viriles  
Seva gerit, penetrat cuneos, aperitq<sub>3</sub> viam vi.  
Tandem fusca cohors, nigrantisque arbiter ale  
Ipse etiam arma sue trepidus viresq<sub>3</sub> animosque  
Virginis implorat; nulla est mora, fervida Amazon  
Emicat, atque ardens paribus se sistit in armis.  
Quem primū hasta, aut quē postremū bellica virgo  
Demetis, aut quot humi candentia corpora linq<sub>3</sub>?  
Semianimesvolvuntur equi niveiq<sub>3</sub> nigrique,  
Et peditum cunei, dilectaq<sub>3</sub> pectora Marti  
Aligerâ iuvenes ineuntes bella sagittâ.  
Quis cladem fando illius, quis funera pugne  
Prostratosq<sub>3</sub> duces speret se æquare canendo?  
Sternitur omne solum buxo, atq<sub>3</sub> miserrima cedes  
Exoritur, confusa inter sese agmina cedunt,  
Implicitæque ruunt albæ nigraq<sub>3</sub> phalanges.

Sternunt.

Sternuntur pedites, & corpora quadrupedantum.  
 Nam versa inter se iactantes mutua tela  
 Fœmineis ambæ nituntur Amazones armis,  
 Vsq; adeo certa non cedere, donec in auras  
 Aut hæc aut illa effundat cum sanguine multo  
 Sevam animam, solâ linquentes prælia morte.  
 Interea amborum populorum rector uterq;  
 Captivos hostes, & victa cadavera bello  
 Carcere servabant castris vicina, caventes  
 Ne capti semel aut obitâ iam morte iacentes  
 In vitam revocati iterum certamina inirent.  
 At lateri innixus Phœbeo Threicius Mars  
 Iunctus amicitia puero Arcadi, si quid amico  
 Fata sinant prodesse, animum per cuncta volutat,  
 Observatque omnes casus, tum corpora bina  
 Capta, pharetratû iuvenem, peditemque nigrantes  
 Cætibus è functis iam vita, atq; æthere cassis  
 Surripit, & castris rursus clam immittit apertis.  
 Ergo iterum gemini captivi prælia inibant,  
 Miscabantq; manus animosi, atque arma ferebant.  
 Haud secus (ut perhibent) cû Colchis nacta cadaver  
 Aut virgo Massylla recens, cantuque triformem  
 Sæpe ciens Hecaten, ac magni numina Ditis,  
 Falsam animâ insinuat membris, aurasq; loquaces:  
 Continuo erigitur corpus, loquiturque, videtq;  
 Et vivos inter fruitur celestibus auris.  
 Non tulit indignum facinus Junonia proles  
 Mulciber (ille dolum solus deprendit) & ore

Inclamat, Phœbumq; monet. Thrax palluit heros  
Deprensus. Phœbo exarsit dolor ossibus ingens.  
Tum Marti pater omnipotens iratus iniqua  
Præsidia abduci, atque indebita corpora bello  
Protinus è castris iubet, atque retexere falsos  
Hinc atq; inde ictus, & cuncta in pristina reddit.  
Iamque duces furijs ambo maioribus instant,  
Reginasque ambas conversa per agmina mittunt,  
Cæde madent illæ toto æquore fata serentes.  
Considunt tandem obversa, regesq; tuentur  
Quæque suum, ecce autem bellatrix agminis albi  
Atergo ferro invasit, stravitq; nigrantem  
Ignaram, verum ipsa etiam cadit icta sagitta.  
Ah misera, & spolijs haud longum exultat opimis.  
Convertère oculos ambæ hinc atque inde cohortes,  
Atque acies lachrymis, & fœmineo ululatu  
Ambas incubuisse putes, dum funera ducunt.  
Tum reges mæstos ipsa ad prætoria densi  
Agglomerant sese circum, timor omnibus idem  
Incumbit, par tempestas, par hausit utrosque  
Diluvium populos, & sunt sua funera cuiq;  
Haud prorsus tamen ambobus defecerat omne  
Robur, opes restât, & adhuc intacta iuventus,  
Tres pedites tibi Phœbe, sagittifer alter, & ingens  
Bellua turrito dorso, totidemq; tibi Arcas  
Excepto Elephante, alta qui nuper in aula  
Pace fruens cecidit positus in glorijs armis  
Eminus aligerâ percussus arundine pectus

Sed

Sed dexter tibi restat eques imperditus, hausit  
Cetera bellantum Mars impius agmina, bellig,  
Alea, florentes & desolaverat aulas.  
At Cylleneo juveni spes occidit omnis.  
Aestuat amissa gentis memor, & suspirat  
Heroas magnos tot fato corpora functa.  
Non tamen excedit pugna, fracta agmina bello  
Reliquias tenues immitis Apollinis astu  
Cautior in pugnam mittit, post funera tanta  
Si qua fata sinant gentis sarcire ruinas.  
It nigrum campis agmen, stat ubique morari,  
Fortunamque omnem tentare, aditusq; nocendi.  
Exultat contra non equo praelia motu  
Cynthius invadens, facies indigna cohortum,  
Heu facies miseranda ducum, raro agmine aperta  
Castra patent late, viduat & civibus aula.  
Moerebant vacuis thalamis regnator uterq;  
Iam dudum exosi sine coninge tedia lecti.  
Primus amor maneat quamvis immotus utriq;  
Sors tamen ad nova coniugia, atq; novos hymenaeos  
Flectit iniqua; igitur primum rex agminis albi  
Reginae comites olim, fidasq; ministras  
Regali invitat thalamo, quae funera maestae  
Post fera bellatricis heretela irrita bello  
Iactabant acies inter, cuneosq; nigrantes  
Oppetere amissa dominae pro cede paratae.  
Sed prius explorare ausus sedet, atq; viriles  
Cunctarum spectare animos, ut digna cubili

Intret in hostiles sedes, atque ultima castra  
Hortaturq<sub>3</sub>, iubetq<sub>3</sub> supremam apprehendere metam.  
Nulli fas etenim regis sperare cubile  
(Pacta vetant) nisi quae per tela iuventa per hostes  
Transactis spacijs cunctis impune suprema  
Attigerit prius adversi penetralia regis.  
Arrexere animos famulae, pariterq<sub>3</sub>, per hostes  
Limitibus properant rectis, tamen ocyor anteit  
Tertia, quam dextro ducebat semita cornu,  
Exultatq<sub>3</sub> agit atq<sub>3</sub> animo connubia regis,  
Nam comites spe sublapsa cessere volentes.  
Illa volat captis immanibus, addidit alas  
Gloria praepetibus plantis, & plurima merces.  
Nulla obstat mora: nec facinus prohibere Tyranno  
Cura nigro est, novaque ipse etiam connubia tentat,  
Et vacuis thalamis alias inducere nuptas.  
Ergo iter alternae accelerant, famulamq<sub>3</sub> sinistram  
Quarto limite agit, saltu sed tardior uno  
Parrhasius iuvenis, iamque imperterrita virgo  
Candida facta potens voti penetraverat omnes  
Sedes atque alacris metae confederat altae.  
Tum rector iubet afferrī sellamque, tiaramque.  
Extinctae ornatus, nec non fulgentia sceptrā,  
Dignaturque toro meritam, optatisq<sub>3</sub> hymenaeis.  
Gaudet cana cohors, insultatq<sub>3</sub> eminus atrae.  
Haud lacrymas cohibet Maia satus aethera voce  
Incessens, pictosq<sub>3</sub> a pectore rupit amictus.  
Nigranti famulae tantum gradus unus ad ipsam  
Restat.



Restabat metam, ah misera, sed limite recto  
Turritus fera fata Elephas impune minatur  
Insurgens, si supremam contingere sedem  
Audeat, & toto castra obsidet ultima tractu,  
Et pavidam observans extremis sedibus arcet.  
Interea nova regali dignata virago  
Connubio exultans, toto dat funera campo  
Illam tollit honos novus, & fortuna tumentem,  
Fulminis in morem ruit, atque nigrantia sevit  
Castra per, & sedes ac sidera territat armis.  
Horrescunt faciem invisam nigra agmina crudæ  
Virginis, atq; ima exoptant telluris hiatus.  
Diffugiunt trepidi vasto irrumpente fragore  
Hoste, metuq; omnes acti glomerantur in unum  
Aulæ in medio iuxta latera ardua regis.  
Haud secus alta boves sparse per pascua quondam  
Ut sensere lupum venientem protinus omnes  
Conveniunt trepidæ, & fortem facto agmine taurū  
Ductorem armenti implorant, ipsiq; propinquant  
Certatim inter se trudentes cornua rancio  
Murmure, mugitu longè nemora alta resultant.  
At regina furens trepidos toto agmine victrix  
Impingens in terga, ipsique ante omnia regi  
Fatis parans, pugnas alta ad prætoria miscet,  
Nunc ruit huc, nunc huc, tunc & nisi læva fuisset  
Mens illi poterat candentem invadere sedem  
Limite in obliquum quarto, & concludere fauces,  
Ultimus ille labor Regi, gentique fuisset

**B** 4

Nigranti, & fatis Arcas lugeret iniquis.  
Nempe erat hinc lethi facilis via in ilia regis,  
Nec poterat quisquam se tanta opponere cladi.  
Sensit Atlandiades tacitus, dubioque tremebant  
Corda metu, accelelare hostem iubet improbus, iētū  
Ne videat, verbisque rapit per inania mentem,  
Castigatque moras. Adeon, iuvat usq; morari.  
Nec pudor est? quæ tanta animis ignavia? sic nos  
Increpitas semper cunctantes impiger ipse?  
Scilicet expectas dum nox certamina tollat?  
His actus peditem imprudens dum captat Apollo  
Præterijt fortunam, alacer vocem extulit astris  
Leticia exiliens Cyllenius, inde periculo  
Regem ipsum eripiens opponit Amazonis armis  
Haud invitum equitem, qui sævos arceat iētus.  
Tum secum meditans candenti lethum elephantis,  
Qui meta arcebat famulam, ne regis iniret  
Concessos thalamos curvato percussit arcu.  
Concidit, atque iētū tellurem bellua vasto  
Pulsavit moriens, dum regi intentat Apollo  
Nequicquã exitiū. Tum metam impunè ministra  
Nigra tenet (nec Phœbus obest) iam regia coniux.  
Iamque alacres paribus certamina viribus ambo  
Rursum incunt, nuptasque ferunt in bella secundas.  
Tum, quanquam ambigua spes sint, incertaque belli  
Alea adhuc, tamen, ac si palmæ certus, & omne  
Discrimen positus sit supra gaudia ficto  
Ore puer Maiæ simulat, verbisque superbit

Im-

Improbus insultans astus genus, & sua creber  
Vocibus extollens alba premit arma cohortis.  
Quem sic deprensa iuuenis Latonius arte  
Increpitat: nondum extremam dubio ultima bello  
Imposuit fortuna manum, & iam voce superbis.  
Proinde mihi insulta, & tumidis reple omnia verbis  
Creta tuum annuerit tibi cum victoria Martem.  
Sed iam nulla mora est: tua nunc nunc irrita faxo  
Dicta manu: hæc fatus, reginam hortatur in hostes.  
Continuo exoritur magnū certamen, & ingens  
Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere utrisq;  
Ardentes in tela ruunt, stat multus ubiq;  
Terror, ubique pavor, mortisq; similima imago.  
Nituntur cuncti aduersi, seseq; viro vir  
Obtulit: invigilant castris avertere pestem  
Quisq; suis, hostemq; fugant, hostiliaque ipsi  
Castra petunt, variantq; vices, fortunaq; ludit  
Spe cupidos, & corda moræ impatientia torquet.  
Funera spargebat fusca regina cohortis  
Per medias animosa acies: non æmula contra  
Opposuit sese virgo, sed calle per hostes  
Secreto interea regis tendebat ad alta  
Limina. Dum subito captis custodibus arcis  
Irruit, atq; aditus irrumpens obsidet aulam,  
Intentatq; necem Regi: tum nigra virago  
Postquam altis vidit canam in penetrabilibus hostem,  
Cede madens, strages cito linoquit & imperfecta  
Funera, & acta pedem retro exanimata repressit,

Nec timuit mediani se certa opponere morti  
Et patriæ, & trepido properans succurrere regi.  
Hic aliud maius Phœbo, graviusq; dolendum  
Obicitur, nam cornipedem Cyllenius atrum  
Huc illuc agitans campo insultabat aperto.  
Ardet equus saltuq; furit, nec destitit ausis,  
Donec reginæ pariter, regique minatus  
Optatam tenuit sedem, exitioq; futurus  
Aut huic, aut illi nigrantibus obstitit armis.  
Ut vidit, tristi turbatus pectus Apollo  
Ingemuit, largusq; genis non defuit humor.  
Et iam iam labi, atq; retro sublapsa referri  
Spes omnis, fluxæ vires, aversa DEÛm mens.  
Arcas successu exultans, ac munere Divûm  
Letus, ovansq; , animû vocemq; ad sidera tollit,  
Et tandem redyt vigor in præcordia victo.  
Protinus inclusam feriens sub tartara mittit  
Reginam, & spolijs potitur non segnis opimis.  
Tantum olli bellator equus cadit ilia fossus  
Vltoris ferro regis, nondum tamen expes  
Phœbus abit, sed pugnat adhuc, atq; agminis albi  
Belli quæ pedites duo, & arcu insignis eburno  
Martis amor iuvenis nequicquam bella lacesunt.  
Ardentes facit amissæ spes lapsa salutis,  
Succurruntq; duci labenti in funera, sed non  
Talibus auxilijs, nec defensoribus istis  
Tempus eget, toto Maiâ satus æquore sevit.  
Instat vi multâ nigra virgo, septaq; regis

Cir-

Circuit excidium intentans, hac perfurit atq; hac.  
Nec requievit enim, donec certamine iniquo  
Reliquias gentis candentis, & ultima bello  
Auxilia absumpsit: medio rex equore inermis  
Constitit amissis socijs, velut æthere in alto  
Expulit ardentes flammæ ubi lutea bigis  
Luciferis aurora, tuus pulcherrimus ignis  
Lucet adhuc venus, & celo mox ultimus exit.  
Nulla salus illi superat, spes nulla salutis,  
Non tamen excedit victus, sed claudere sese  
Hostiles inter cuneos impunè per enses  
Actus avert, donec nusquam spacia ulla supersint  
Effugijs, nam si nemo illi fata minetur,  
Et superet sedes, quam impunè capeßere possit,  
Nil tantorū operum impensis foret omnibus actum,  
Sed labor effusus frustra, viresq; fuissent,  
Nec titulos quisquam, aut victoris nomen haberet.  
Ergo per vacuas sedes desertaque castra  
Nunc huc, rursum illuc incertos implicat orbes  
Diffugiens, niger insequitur rex equore toto,  
Atq; fuga semper spatiumque abitumque relinquit.  
Post ubi supremo tendentem limite gressum  
Vidit, reginam sedes servare secundas  
Insistit ab angustis ne se ille abducere posset  
Ordinibus, tantumque fugæ misero ultima restat  
Linea, tum sese contra niger amulus infert  
Dux gentis propiore gradu, sedes tamen una  
Alterum ab alterius contactu summovet usq;  
Ut verò contra exultantem victus, & expeß

Constitit invitus, fortunam nacla virago  
Extremam insiliyt sedem, totoque minatur  
Limite, nec misero restat locus amplius usquam  
Tandem illum surgens virgo crudelis in enseni  
Immolat, & finem imposuit sors aspera pugnae  
Ingenti superum plausu, & clamore secundo.  
Victor Atlantiades exultat littore toto  
Improbis, & victo insultat, ridetq; dolentem:  
Quem pater omnipotens ad se vocat & dat habere  
Felicem virgam qua puras evocet umbras  
Pallenti styge, ubi infectum scelus eluit ignis,  
Quaque Erebo damnet fontes, & carcere caco,  
Detque, adimatque oculis somnos, & funere in ipso  
Lumina lethæo claudat perfusa sopore.  
Mox vero gratum ludum mortalibus ipse  
Ostendit Deus, & morem certaminis huius  
Italia primum docuit celebrare colonos.  
Namq; olim, ut perhibent, dilectâ scacchida, qua nō  
Inter Seriadas præstantior altera Nymphas,  
Compressit ripa errantem, & nil tale putantem,  
Dum pascit niveos herbosa ad flumina olores.  
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris  
Amisisti pretium vario ordine picturatam,  
Argentiq; auriq; gravem tabulam addidit, usiq;  
Edocuit, Nymphæq; etiam nunc servat honorem,  
Et nomen ludus, celebrat quem maxima Roma,  
Extremæque hominum diversa ad littora gentes.  
Omnia quæ puero quondam mihi ferre solebāt  
Seriades, patri canerem dum ad flumina Serij.

# COMMENTARIORUM IN SCHACHIAM

## Caput Primum

πρῶτον

*Gaudia quò dures sueto interpone labori,  
Ludi & delicias mens studiosa cape.*

*Quem SCHACHIAM veteres quondam inscripse-  
re, secundus*

*Nulli arte, optandâ aut utilitate minor.  
Castigat mores, mentisq; probatio certa est,  
Suaviter & vires ingenij exacuit.*

**I**nter alia bene multa, ad quæ non  
persuasione aliqua adducti, non  
consuetudine confirmati, non in-  
structi præceptis: sed ipsa moni-  
trice atque effectrice natura, ac ut  
christianè magis loquar, divino Numine, facti  
imbutique esse videmur, haud postremum illud  
est de alterna quod dicitur quiete, & attritarum  
relaxatione virium, ludo, voluptate. Equidem  
nulla tanta animi vis est, nullumque tantû cor-  
poris robur, quod *ὁπτιευσίς* continuare queat labo-  
res, ferre fortunæ lusus varios, lubricos, acerbos,  
nisi forte an sit.

*duris genuit quem cautibus horrens  
Caucasus, hyrcanæque admorunt ubera tigres  
Et quæ*

Et quæ sensu quoque carent, atque <sup>ἀψυχος</sup>  
sunt, ut durare & vim servare suam possint, ve-  
lut alternâ quiete continentur. Et durus nun-  
quã remisso, ut ille ait, rumpitur nervo chalybs.

Et deniq; requietus ager, largioris est spes cer-  
ta messis futuræ industrio agricolæ. Hinc pri-  
sci illi & Græci & Romani iunioribus nō solū io-  
cos ac ludos concessere, sed & ipsi ampiruantes  
jisdem sese interdum recrearunt. Citetur te-  
stis Euripides & patebit, domitorem illum por-  
tentorum & ferreum laborum receptaculum  
Herculem velitationibus & præliis commissis  
mufices sese oblectasse suavitate, lusisse eūdē cū  
pueris: *παίζω* cum ait, *μεταβολὴν πόνων ἀεὶ φίλων*  
ludo, quia laborū semper mihi grata vicissitudo

Producantur omnes omniū temporū histori-  
ci; & fortissimos imperatores, illustris. Duces,  
Principes, comites, Gener. alios, doctis. quoque  
philosophos ac politicos nō tam corpus quàm a-  
nimum liberaliori ludorum genere remisisse  
constabit. Et ut *ὑπερον πρώτερον* agam, an non  
Socrates peractis feriis cum Lamprocle suo (val.  
Max. d. lib. 8. c. 8. & Aelian. lib. 12. c. 15.) Tarent. Ar-  
chytas (Athen. Dipnosophist l. 12. c. 6.) cum pue-  
ris & servitiis; Cosmus Medices cum nepotibus  
relaxando animum lusus agitarunt? Præstitit idē  
Attalus rex Asiæ, quemadmodum etiam Cyrus  
Persa-



Perſarum imperator, colendo pro deliciis hor-  
tos, nonnunquam fundendis ſtatuis occupan-  
do otium, plantando elleborum, aconitum, ve-  
nenofas herbas alias, ut fructū inde legeret Iuſt.  
lib. 36. & Plutar. in vita Demetrii. Fecit Alexan-  
der ſeverus imperator, teſte Aelio Lampridio in  
vita illius, qui per dies feſtos perdicum & ca-  
tutorum pugna ſe recreavit. Fecit Ageſilaus  
qui, ut autor eſt Plutarchus in vita illius, & in a-  
popht. eiusd. & Æcl. variæ hiſt. lib. 2. cum in  
fante filio arundinem aſcendit Nihil hîc dico de  
Demetrio Poliorcete, qui poſt negocia bellicas  
machinas, & de Aeropo Macedoniae rege, qui  
in ocio lucernas fabricaſſe ſcribitur. Prætereo  
Parthorū reges in ocio cuspides acuentes. Non  
cōmemoro Dionyſiū iuniore curâ belli ſolutū  
plauſtella, menſas & ſedes mirâ arte compingē-  
tem. Silentio involvo lumina illa Romana Scipi-  
ones, Lælios, Scævolas, Auguſtos, Germaniaē itē  
imperatores, Carolos, Rudolphos, Maximilia-  
nos, viros alios genere, virtute ac doct̄ina illu-  
ſtres (Plutar. in vita Alex. M. Athen. lib. 1. c. 13. &  
lib. 2. c. 25. & d. lib. 1. Diſnoſophiſt. c. 8. Iulius capi-  
tolinus in vita M. Antonij Diog. Laërt. in vita He-  
racl. Ephēſii) | qui ſeriis negociis ad ludorū volu-  
ptatē animū q. diverticulū quoddā tranſtulerūt.  
Propinquiora paulò quæ ſunt, omnibusq; obvia  
breviter in tranſcurſu perſtringam.

Age

*Age enim*

*Interpone tuis interdum gaudia curis*

Oleum, me christe, lampadi te affudisse, stimulum & calcar addidisse currenti, firmasse vitales spiritus senties, lætiorque subinde ad graviora studia reverteris. Equidē videre illud est aurorā ab inferis reducente quadrigas, quā a lacri prorsus promptoq; animo ad sudores nostros redeamus, blandus ubi sopor paulum relaxavit artus, ac vigorem in medullis suaviter irrigavit. Videre est id in pueris, quibus si veniam concesseris peracto laboris penso ad capessenda ludicra, ventilandam pilam, exercendam chytindam, apodidrafcindam, myindam: vel cursu luctando, disco, pugillatu aut saltue se recreare: vel facere periculum in musicis, testudine, cithara, Pandura, fistro, organo pneumatico, aut in symphonia, modulamine, chromateque vario: vel alio liberali aliquo & iucundo exercitio vires mentis defessas restituere: revocati addiscendum feliciori subinde conamine inceptam telam pertexere consueverunt. Verum ut nō sine discretionē & certā *δοσε* condimentis utimur ac sale in apparando cibo: ita hīc quoque cū ratione, virtute & modo otiandum est, nec plus offecisse quā profuisse nobis ludus videatur.

Quippe nihil habet ea delectatio in se firmitudinis & fructus, verecundiæ, quæ abiicit memoriam

memoriam

moriam, Venere & liquore Massico quam me-  
tuntur, omniū qui rerū ordinem invertunt, no-  
ctem in diem, hanc rursus in noctem commu-  
tando, feriando ubi laborandum, ubi quiescen-  
dum res turpes moliendo & perniciosas, Sed ea  
erit ingenuis voluptas familiaris, honestum quæ  
sapit, tempus labore vacuum à peccandi quæ  
vindicat occasione, intemperantiam quæ vitat,  
odit profusionem, turpitudinē, fœditatem, qua  
etiam Philosophus respicit, ludum somno &  
quieti similem esse cū ait: Et Cicero, qui ipsum  
ludendi genus non profusum aut immodestum  
sed ingenuum ac liberale esse debere lib. i. cff. mo-  
net, instituendūque vel tam maximè, cum gra-  
vibus seriisque rebus satisfecerimus, Insuper  
hoc quoque addit, semper in promptu habendū  
esse id, quod, quemadmodum natura homines  
pecudibus reliquisque bestiis, (quæ nihil nisi vo-  
luptatem sentiunt, ad eamque feruntur omni in-  
petu) antecedit, tantum cogitando semper ali-  
quid inquirere, aut agere, videndique & audien-  
di delectatione duci debeat. Quæ cum nihil ha-  
b beant dubii, totque ferè ludorum hodie repe-  
riantur genera, quot sunt hominum sensus, quo  
libet scilicet aliquam sibi fingente deliciarum  
fabricam: quis neget illud potiss. exercitii genus  
palmam mereri, inque voluptate ac usu haben-  
dum crebriori, cuius si originem spectas, cedat

C

nulli? si formam ac ludendi modum, nil vulgare  
tritum aut humile, sed sublime quoddam, heroi-  
cum, regiū de se polliceatur? si usum denique at  
que utilitatem, acuat ingenium, confortet me-  
moriā, exhilaret mentem, sedet affectus, susci-  
tet industriam, coërceat socordiam, motus ani-  
mialios vel compefcant, vel iuuet, vel detegat  
spectatori? Et cum triplicem ludorum faciant  
materiam in legibus qui sunt occupati, ut scribit  
Henr. Cn. Vt. I. D. in libello de ludo: quorum pri-  
mus solius est fortunæ & prohibitus, cum stul-  
tum sit & periculosum se submittere viribus for-  
tunæ: secundus artis & virtutis in peritia qui con-  
sistit & industria, vel etiā robore corporis agilita-  
teq; membrorum, estque permissus, *d. l. 1. §. 1. & d.*  
*Authen.* Tertius utriusque, mixtus scilicet, qui  
etiam prohibitus, nisi pro convivio fiat, & sine  
lucro, teste Baldo & aliis D. D. quis non medium  
ingredi iter malit, & conscientia non saltem suæ  
consulere, sed finem quoque hac in re qui est  
propositus assequi sine pæna & iactura bono-  
rum: attamen ubere cum fructu, & honesta sua-  
vitate? An verò de ullo, ludorum in genere quæ  
habentur affirmari hoc probarique magis pote-  
rit, quam de ingeniosissimo Latrunculorum, seu  
ut vulgo appellitant *SCHACHIÆ* ludo? Haud  
arbitror. Eā namque hic unicus & suavitate  
nec non utilitate præstat, qualem non desiderare  
dun-

duntaxat, sed & optare, qui sueto lassam oper-  
& curis languidam animulam suam velit refice-  
re, possit ac debeat. Hac de causa plagosi etiam  
Orbilij & cadeverosa fronte metuendi Magistri  
SCHACHIÆ lusum discipulis nunquam prohi-  
buerunt: sed veluti liberale ingeniorum exerci-  
tium semper concesserunt. Dum enim insta-  
biles & desultorij juniorum animi hoc ipso sunt  
occupati aliarum ineptiarum & malorum faci-  
lè obliviscuntur. Abducuntur ab ebullienti bile  
ad placabilitatē atque læticiam: à Veneris cor-  
ruptela ad Martis Tyrocinia: à lustris Bacci &  
Cereris ad Musarum vireta, incitantur à ludicris  
ad sublimiora, digniora, graviora sine sumptu,  
sine labore, sine vulnere. Vidit usum huius rei  
D. Iacobus Horstius in transferendo opere Levi-  
ni Lemnij medici Zirizæi in teutonicum idioma  
qui in *περὶ παιέσεως* ad vitam opt, *inst. c. 44.* ludū SCHA-  
CHIÆ exquisitissimo exornat encomio. Cum e-  
nim alias pene omnes ludorum formas, Fortu-  
nā ducē ac dominam quæ habent, turpitudinis  
stigmatē notet, in hoc unico moratur, hunc ex-  
tollit, exercendumque liberalibus ingenijs per-  
mittit, suadet, imperat, & quod non solum sine  
lucro & æris dispendio instituat: verum etiam  
nihil cæcā cū sorte habeat commercii atque a-  
deò, quod præstantiss. exerceat numeros, metia-  
tur fines ac terminos, Geometriæ describat tri-

angulos & quadrangulos, methodis progredia-  
tur dialecticis, stratagemata etiam varia, milita-  
rem prudentiam, consilia & horum sexcenta a-  
lia proponat, suaviq; ludentium cum commo-  
do in effectum deducat.

## CAPVT SECVN-

D V M

ΞΕΙΟΧΗ

*Chaldeus quondam Regnator percitus æstro  
Dirarum in cives & scelus omne ruit.*

*Ast SCHACHIÆ Xerxis ludo placatur, & arte  
Mollescunt miris effera corda modis.*

*Artificem sua dona manent: civesque Ducemq;  
Inter utring; fides: mutuus extat amor.*

**I**N Autore investigando, cum diver-  
si diversa statuunt, eorū ego sequar  
vestigia, quorum apud saniores se-  
per sancta inuolataq; fuit autori-  
tas. Refert Polydorus Verg. lib. de In-  
uent. rerum 2. c. 13. à quodam viro sapiente, nomi-  
ne Xerxe, circiter annū mundi 3635 ludi genus  
quo calculis in tabula lusoria luditur, inventum  
esse, qui ita tyranni sævitiam coërcere metu, ac  
cum documento monere volens, ostendit ma-  
iestatem sine viribus hominumque adminiculis  
parum

parum admodum valere atque tutam esse, quando per istiusmodi ludum satis patebat, regem facile oppressum iri, nisi invigilaret, à suisque defenderetur. Fufius autem & propè propius de hac re Iacobus Mennel. V. I. D. ex veteribus Chaldæorum monumentis ac historicis aliis, in tractatu Constantiæ Anno salutis M. D. VI. in comitiis imper. de ludo SCACHIÆ rhythmis germ. scripto, agere videtur. Auctorem idem eundem cum Polyd. Verg. agnoscit Xerxen, addito tamen cognomento Philometrum, oriundum ex Chaldæa. ἀφορμῆ in hunc ferè modum præmissa. Cum mortuo Nebuchdonosore rege Chaldæorum, qui prius annos 7. inter bestias, teste Daniele Proph. c. 4. vixerat, filius Evilmerodoch omni vitiorum genere nobilis, qui à regno & hæreditate patriâ exclusus, ac in carcere cum Ioachim rege Iudæorum usque ad obitum patris detentus fuerat, propria autoritate se designasset imperatorè, cæpit pristino furoris cæstro percitus crudelissimâ penèque incredibili inhumanitate in cadaver patris sævire. Hoc namque extractum è sepulchro, secundum Hieronymum com. lib. 5. in Esaiam c. 14. unco & funibus traxit, secundum alios in trecenta dissecavit frustra, totque eadem deglutienda obiecit vulturibus, sperans fore, ne ut à speluncis ferarum, ita ab inferorum claustris ad gubernacula pa-

ens rediret. Hac cum cupiditate animum sati-  
asset, adeo immanis ac sævus in subditos suos,  
præterquam quod in omni vitiorum libidinum  
que genere sese ut lutulentus sus volutaret, exti-  
tit, ut & odisse tyrannum inciperent, eiusque in-  
fringere feritatem omnes omnem moverent la-  
pidem. Rebus utrinque ita constitutis adori-  
untur miselli precibus, lachrymis ac pollicitis  
Xerxem ut doctrinâ ita ingenio felicissimum vi-  
rum, ut ne, si quid possit acumine mentis inve-  
stigare, quo cruentam regis naturam corrigeret,  
subterfugiat in totius patriæ emolumentum per-  
petuum. Xerxes re diu multumque delibera-  
ta, talem tandē ludendi formam, SCHACHIAM  
suo quâ idiomate inscribebat, meditatus, primū  
aulicis & regni proceribus exhibebat, cū iisque  
prius informatis sæpius exercebat. Singularem  
autē quolibet inde arripiente oblectationē, nec  
regi inventum artificis displicuit. Quamobrem  
eius sibi demonstrari usum ab autore cupivit,  
Renuit is primū, regemque ait, voluptatis &  
fructus hausurum hanc nihil, at multum perce-  
pturum molestiæ, multum ægritudinis, non mi-  
nus laboris atque tædii, eò quod is demum ad  
ludum suum videretur aptus, affectibus qui mo-  
deretur, & liberâ quodvis mentis agat conscien-  
tiâ, quibus se rex ipse destitui fateri cogatur, cum  
prohibitu vivat, non quod suaderet ratio, sed sup-  
pedicaret



peditaret furor, suorumque insuper civium per-  
timescat congressus, colloquia, molitiones sin-  
gulas. Obstupuit cogitabundus Evilmerodoch,  
menteque in diversas multoties distortâ partes  
tandem deposita formidine & furore animi re-  
misso: Rem, inquit, acu tetigisti ô Xerxes, victû  
tuâ me fateor lubens prudētiâ. Amore teneor in-  
satiabili tui ludi, regium quicquid est qui sapit,  
qui exercitum instruit, metatur castra, aream  
metitur, insidias ponit, deliberatiões instituit, fu-  
gat, cædit, enervat hostem: præclara omnia, sua-  
via, fructuosa hic video, imo quod caput atque  
anima ludi est, quid fidelium subditorum præsi-  
dium, suo quod afferunt regi, valeat, quoque stet  
ille talo iisdem denudatus, conspikor. Age er-  
go (tibi n. me nunc obsequi par est) edissere, &  
me quicquid est artificii, quod profecto totum  
est, in hoc ludo edoce, idoneum me scio præcin-  
**us** pectus candidâ illa Deâ, constantiam reor:  
**Tu** perge cum Dijs, præmium feres posthac su-  
**scepti** laboris. Hoc facto Rex illico in melius  
convertisse mentem, pia induisse viscera, & pri-  
oris detestatus vitæ flagitia deinceps mitius egis-  
**se**, vixisse laudabiliter, suumque extremum mul-  
tâ laude cumulasse ac perennasse fatum scribi-  
tur, **Qu**anquam vero in ea quidam sint opini-  
one, vt vel Aufoniæ cuidam mulierculæ, aut Da-  
nais ad Troiam pugnantibus huius ludi originē

affcribendam esse velint: tamen res ipsa illis satis  
superque reclamatur. Testatur enim hoc pri-  
mum vox chaldaica schach, quæ regem signi-  
ficat, & ob id symboli loco adhibetur, quo regem  
ad inimicum declinandum hostis aspectum mo-  
nere solemus. Deinde formam quod attinet  
in tabula quadratam 64. interdistingtam spatij,  
produnt historicj, desumpsisse eam autorem ab  
urbis Babylonæ situ, quæ mœnibus paribus per  
quadrum fuit disposita, ambituque 480. stadia  
confecit, teste Plinio & Strabone. Quemad-  
modum etiam cardines in tabula sublimiores es-  
se solent, murorum innuentes illius vrbs magni-  
tudinem, quos ducentos in altitudinem cubitos,  
quingenta in latitudinem (adeò ut quadrigæ  
sibi invicem occurrentes facile pertransire pos-  
sent) habuisse traditur. Vt nihil de turre illa  
triangulari dicam, quæ 7000. passibus describi-  
tur à nonnullis, qui 7. milliaria conficiunt italica.  
Hanc nullum valuit missile æquare telum, quin  
imò oculorum aciem etiam cælo puro circa  
meridiem excedebat: cui rei & illud argumento  
esse poterat, quod tota Nohæ posteritas in ea ex-  
truenda fuerit occupata Duce Nimrodo Gen. ii.  
eoque animo ad emoliendum hoc immortale  
opus sese sociârunt. Tum, licet nō inficiemur  
Palamedem ludi alicuius ad Troiam extitisse in-  
ventorē: tamen ut dubitative pro eodem Alex-  
ander

ander ab Alex. lib. 3 c. 21, concludit. cum ait: Ludum calculorum sive latrunculorum viris & mulieribus frequentē à melioribus & summis honoribus vel maxime cultum & celebratum Palamedes invenisse proditur, ad comprimendas otiosi exercitus seditiones: ita nulla sine hæsitatione & dubio tesserarum sive cuborum eundem autorem facit Sophocles in Palamede.

Βέλιμον, ubi canit, εἶτος τόνδ' ἄποσε, σὺν θεῶ,  
εἰπεῖν, χρόνυτε διατριβάς σοφωτάτας  
ἐθεῦρε, Φλοίσβος μετὰ κοπήν καθημένοις  
πέσσε, κίβδος τε τερπνὸν ἀζιγίας ἄκος.

Quos versus ita vertit Hadrianus Iunius  
Nam ille (dicam enim) procul famem, DEO  
Iuvante, abegit, ociumque fallere  
Docuit sedentes littore in sicco, mare  
Vbi murmurat, ludo reperto tesseræ  
Vite iucundo desidis solatio.

Eadem de re agit Pausanias lib. 2. § 10. Et Servius aut. Varronis lib. 2, Aen. ibi.

*Belidæ nomen Palamedis.*

Philostratus etiam in Heroicis, & Gregor. Nazian. in prima invectiva σηλιτωπηῆ.

Cum igitur neque Italicae foemellæ (quam qua facilitate M. Hier. Vidas fictione poetica, salvâ interim autoritate viri doctissimi SCHACH

C S

chidem dictam ludi huius effectricem proponunt, eâdem quoque remittitur) neque Palamedii, cui aleam sive tesseras fuisse adscriptas ex modo dictis patet, latrunculorum inventio assignari queat, firmiter pro chaldæo, Xerxē puto Plulometrum, pronunciamus, usque donec firmioribus abducti documentis (si qui in re tã antiquâ supersticiosius scrutari velint) diversum docebitur.

Acceperunt autem à Chaldæis SCHACHIÆ notitiam Græci, per quos tempore Alexandri Magni etiam Aegyptiis innotuit, & familiaris factus italica fuit atque Germanis, apud quos non minus ac ullam gentem summis habetur in delitiis, maximoque in honore, in aulis præsertim Magnatum & literariâ cohorte.

### CAPVT TERTIVM.

Ⲕⲉⲓⲟⲭⲏ

*Præsentem loquitur Chaldaica dictio regem  
SCHACH, & rex vitet fata suprema mones.  
Priscis latro fuit sua qui per vulnera regis  
Et capiti & lateri contulit ultor opem,  
Nobilis hinc SCHACHIA est ludus quoque dicta  
latronum,  
Induperatori dum quoque miles adest.*

Cum de



Vm de ludi, quem præ manibus habemus, sine ac usu ex præcedentibus, cōstet, sit notus autor, à quo immortalitate donatus, sit locus expositus, quo oculis hominum primum subiectus, causæ quoque sint enumeratæ, ob quas effectus & exercitatus fuerit: iam nunc antequam, ad ipsum ludendi artificium perveniamus, de nomine prius, & quo inscribitur titulo, est ut aliquid adiiciamus. Voculam SCHACH peregrini esse idiomatis, nemo est inter literatos qui ignoret, cum neque ex Græca neque Latina lingua derivationis eiusdem dari ratio possit. Quamvis enim à Græco *χαζω* descendere videatur: Ob multiplicem tamen illius significationem, quarum nulla instituto commode applicatur, neque derivativorū etiam canoni respondeat, locum hic neutiquam invenit. Sive enim tenoris instituti abruptionem, sive retractionem & reductionem, sive suppressionem, sive stationem, sive inhibitionem, sive sacificationem (toties enim verbi significatio mutatur) respiciamus, longe latèque omnes & singulas à SCHACHIÆ ludi aberrare proprietate deprehendemus. Ac i. quidem 3. & 6, reliquis ob dissonantiam exclusis, quod attinet, in propatulo est, non abrumpi productæ aciei tenorem, quoties vocabulū SCHACH ingeminatur, non idem inferre suppressionem, non in-

lubiti

hibitionem aliquam causari, quâ impediatur cō-  
certatio, sed esse symbolum, quo regibus fatales  
indicere aspectus, omnibusque eos undique nu-  
datos præfidiis pœnæ adiudicare consuevimus.  
Ad hæc opinatur Polyd. Verg. lib. 2. de Inv. rerū  
c. 13. Dictos fuisse calculos hosce, seu scrupos  
furunculosvè, quibus præliando ludimus (cum  
fit certamen instar prælii) schacos à scandendo,  
quod calculi cum moventur, in alteram partem  
scandere videantur. Opinioni huic multi sub-  
scribunt cum viri ob autoritatem, tum peritiam  
& usum multarum præstantissimarumque rerū:  
Sed nec illa displicet, quam linguæ Chaldaicæ  
fontes suppeditant, quibus vocula schach Ducē  
sive Regem significat, & propterea eadem ludus  
hic fuit inscriptus, eò quod Rex caput sit umbra-  
tilis pugnæ, quæ tota ad eum directâ tum demū,  
ubi admonitus symbolo schach sibi ab inimicis  
hostium aspectibus amplius cavere nequit, fini-  
tur. Cæterum ut de latina etiam inscriptione  
aliquid dicamus, dicti latrunculi fuerunt calculi  
isti, quod antiquis vocabantur conductitii mili-  
tes latrones, ἀπὸ τῆς λατρεύειν quod inservire si-  
gnificat, quot scilicet mercede bellis serviebāt.  
Moris a. erat, ut hos imperator & circa se habe-  
ret & primos mitteret ad omne discrimē. Quan-  
quam varro de lingua latina lib. 6. eos à latere di-  
ctos putet, q. laterones, ut qui circum latera e-  
rant re-

rant regi, atque ad latera ferrum habebant. Ab  
eoque inquit Veteres Poetæ nonnunquam mili-  
tes appellant latrones: aut ut postea subdit, quod  
latent ad insidias faciendas. Hodie satellites vo-  
cantur, qui principis alicuius latus tuetur, qui &  
stipatores, & *σωματοφύλακες* appellantur. Quo  
illud Plauti in Milite pertinet.

*Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum  
meum,*

*Vt latrones quos conduxī, hinc ad Seleucum duceret.*

*Qui eius regiam tutarentur.*

Inde ergo calculi ludi huius diminutivè la-  
trunculi dicuntur, secundum Senecam: Episto-  
la 106. ad Lucilium lib. 18. Epistolarum & ali-  
os scriptores.

## CAPVT. IV.

*ἄειοχή.*

*Signifer, & Sonipes, senior, regina pedestri*

*Cum turbâ regem corpore & ense tegunt.*

*Est sua cûique etiam statio, est incessus & ictus,*

*Quêis hostem invadunt, & fera bella movent.*

*Estq; animus cunctis adversa occludere gentis*

*Rectorem, hoc facto digna brabeia ferunt.*

Genera-



Generalioribus in hunc modum præmissis, ipsa ludendi forma nunc apponenda esse videtur. Scribit de ea Alexander ab Alex. I. c. & historicus Neapolitanus lib. 3. Gen. dierum c. 21. Ludum calculorum Veteribus fuisse præcipium, qui & latrones dicti. Hos diversi coloris interdum etiam gemmeos in duas divisos esse turmas, quorum alii milites, hostes alii cognominati fuerint. Lusus vero illorum esse, ut turmis instructis, velut qui congredi acie parant, hinc inde sub hostium imagine procedant: ac præscripto fine quoad quisque progredi debeat, ita cavere oporteat, ut dum hostem quisque invadere nititur, alterius non pateat incurfibus. Ad quam rem ipse etiam Martialis alludere videtur.

*Insidiosorum (quando canit) si ludis bella latronum,*

*Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.*

Et Ovid. 3. de arte amandi non minus aptè.

*Cautaque non stultè latronum premia ludat,*

*Vnus cum gemino calculus hoste perit.*

*Bellatorq; suo prensus sine corpore bellet,*

*Aemulus inceptum saepe recurrat opus.*

Et Erasmi in proverb. *πίλεις παίζομεν* sic refert. Lusus genus quoddam est, in quo calculis ludebatur olim, quos antiquitas id est urbes vocabat



vocabat, Neoterici *κώρας* hoc est regiones ap-  
pellare cæperunt. Julius Pollux lib 9. de rerum  
vocalibus genus ludi huius describit his verbis.  
Qui complurium calculorum dicitur lusus, la-  
trunculus est, regiones in se continens in lineis  
fitas. Et laterunculus quidem ipse civitas appel-  
latur: cæterum unusquisque calculus canis. Por-  
ro cum calculi duobus sint distincti coloribus,  
lusus hæc ars est, ut comprehensis duobus calcu-  
lis unicoloribus, eum qui diversi coloris est, tol-  
las è medio.

Cum autem generalis isthæc **SCHACHIÆ** noti-  
cia parum aut nihil ad informandum tyronem  
faciat, totam ludendi rationem atque ordinem,  
qui hodierno die à plerisque observatur, paulo  
accuratius excussum & à Poeta Vida pulchrè de-  
pictum apponere placet, non nescius, quod que-  
madmodum nares duntaxat provocat fumus ob-  
soniorum, non etiam nutrit: ita neminem cõ-  
firmant prima scientiæ alicuius delineamenta  
ac *αὐγύρεως* sed tantum inflammant & protrudunt  
ad secretiora indaganda receptacula. Primùm  
itaque tabulam sibi comparabunt lusores 64. se-  
dibus interpietam, ex omni quidem parte octo-  
no limite formam quadratam distinctam, & æquali  
spatio alternatis vicibus colore duplici  
variata ut sequens figura  
docebit.

Deinde

Deinde latrúculos duos & triginta, æqualiter  
divisos & distinctos apponent. Ex his duæ e-  
runt instruendæ acies, quarum altera albis, vel al-  
terius coloris, totidem nigris altera vel à priori di-  
versis calculis constabit. Inter hos deinceps sta-  
tiones, nomina atq; officia observabuntur. Prin-  
cipio reges è diametro sibi oppositos, album qui-  
dem sede nigrâ latere dextro stationibus tribus,  
sinistro vero quatuor: atrú in alba, tantú dè utrin-  
que sed diversimodè discriminatum stationibus  
ultima spatia, relictis in medio sedibus 48. loca-  
tos exhibebunt. Propter hos Reginae utriusq;  
aciei munimenta à dextris nigrâ nigro in spatio,  
à sinistris sede albâ candida stabunt, Hinc parte  
ab utraq; bini Sagittiferi, vel ut aliis placet, senio-  
res sive consiliarii ponentur, quos tot eadè rati-  
one equites utrinque subsequenter. Lineam de-  
nique hancce signiferi ab Elephantibus, quibus  
altâ in turri insident, nomen habentes, & proxi-  
mè ad Bellonas dignitate accedentes murorú in-  
star hinc & hinc cludent atque obvallabunt.  
Primatibus sic ritè dispositis, pedites dein octo-  
ni, regum partim armigeri, partim ministræ A-  
mazonum ad excipiendos primos hostium im-  
petus secundis tabulæ spatiis castra præcedent.  
Hæc de nominibus singulorum & stationibus  
dicta sunt: nunc quæ militantium munia fue-  
rint audiemus.

Peditibus

Peditibus adversus hostem exeuntibus unum  
 faltem datur spatium κατὰ τὸ πλάτος idest recto  
 limite transmittendum: iis tamen, qui reges, re-  
 ginas & signiferos præcedunt, primum duplica-  
 re gradum si velint conceditur: at singuli inte-  
 rea cominus in hostem ictus obliquant. Gemi-  
 ni deinde utriusque exercitus Elephantes rectâ  
 valent fronte retroq; & dextrâ & lævâ omnem  
 pererrare campum, & quævis obvia sternere,  
 κατὰ τὸ πλάγιον tantum ne ingrediantur idest obli-  
 qua contingant spatia, lege prohibentur. Con-  
 trarius ergo sagittiferis relinquitur incessus, quo-  
 rum uterque κατὰ τὸ πλάγιον fertur, spatiis quidem  
 alter nigrantibus, alter candenti se limite versat,  
 totaque (de utroque intelligatur exercitu) ipsis  
 area est pervia. Hi quos recensui omnes, nisi  
 hostili vel suorum agmine aditus ipsis interclu-  
 datur, demum promoveri possunt. At sonipes  
 ductu per turmas continuo non procurrit, sed in-  
 surgit altius, & alterâ à sua κατὰ τὸ πλάγιον si sit va-  
 cua, occupat sedem, ea data lege ut colorem su-  
 binde variet, nigraque relicta albam & viceversa  
 inhabitet stationem. Reginae pars belli, ut Po-  
 ãta canit, optima, militantium omnium, si à so-  
 lo equite discesserimus (neque enim saltu transi-  
 lire agmina mulierum est) incessus muniaque i-  
 mitantur, totumque illis campum, salvo interim  
 obstantium iure percurrere à regibus facta po-

D

restas est. Interea cautius utriusque regnator gentis arma movet : quippe in his omnis spes & sola belli posita est fiducia. Hos ergo omnes circumstant, tuentur medios, pro iisque sua corpora letho obiectare nullus bellantium renuit. Haud tamen impunè ex hostium grege eos quis propius accedet, cum omni ex parte nocendi ius habeant, etsi non amplius uno gradu à prima statione progrediantur, unde in reliquas tabulæ sedes pari modo migrare solent. Quodsi incautas Bellonas Mars crudelis devoret, & regib<sup>9</sup> novos apparare hymenæos placeat, fidæ quæ olim fuerant earundem ministræ regali invitantur thalamo, & quæ prima, per tela hostium invec̄ta trās actis cunctis spatiis lineâ rectâ, suprema regis adversi attigerit penetralia, extinctæ reginæ toro armis sceptroque; potitur, eiusque eam subire munia ac dignitates Imperator procurat. Sunt qui absque discretionem singulos pedites ad hanc dignitatem evehendos statuunt, sed sine ratione & probabilitatis specie id conantur, cum verisimile non sit virum in fæminam transformari posse, aut eius connubium regem appetere. Rectius ergo cū VIDA agere videntur, qui habitopersonarum discrimine Gynæceo hanc saltem licentiam ac prærogativam tribuunt. Eo verò ipso momento famulæ, quo metam extremam in castris hostium occuparunt, vices sublatae reginæ subibunt,

subibunt, nec antagonistæ, ut nonnulli arbitran-  
tur, ictum expectabunt. Nam omnes molesti-  
arum quæ deglutire fluctus, & iam attigerunt li-  
bertatis portum, deserendæ minimè sunt, sed con-  
festim, quam meruere decorandæ gloriâ. Et cū  
communis hæc sit sors utriusque ludentium, eò mi-  
nores excitaverit contentiones, promptioreque  
potius pars utraque animo remunerabitur Bello-  
nas, quam cunctando debito easdem gloriolæ ex-  
cidere fructu patietur.

## CAPVT QVIN-

T V M.

Ἐπιόχῃ

*Mavortis nequeant quoniam sine legibus arma*

*Iusta esse, infelix sitq; utrobique labor:*

*His quoque ludicris certâ stent omnia lege*

*Cura erit, ut fausto Numine cedat opus.*

*Nec vulgi semper præcedet opinio: rectum est*

*Ingreditur veræ quod rationis iter.*



Um facili quidem negotio isthæc pro-  
ponantur, exhibeantur vero difficilius  
nî certæ feriantur leges, quæ transgres-  
sorem non solum absurdi, verum etiã

D 2

levitatis convincant, paucis de ijs iam agemus.

## LEX PRIMA

Quem penes belli est initium, unum è suis latrunculis, quem arbitratus fuerit commodissimū emittere, idē alter vel occurrendo exposito, vel alias moliendo insidias factitabit. Plures autem simul præter unum, in hostem nō promovebuntur, omnibusque unum erit studium obsessum inimicæ gentis regem occludere, occlusoque excedere pugnâ. Rege namque coacto in angustias, ut neque minitantem extrema vel ipse, vel vindici suorum militum manu tollere, neque fugâ, neque tutelâ acquisitâ aut quacunque dehinc ratione alia evitare fata instantia possit, receptui canitur, & rex victus victori *λύτρον* persolvit. Adhæc duæ aliæ sunt viæ vincendi Regem: si videlicet primum omni spoliatus milite solus, prævalente interim antagonista numero latrunculorum, de quibus est præsumptio sive firmior coniectura, eos ad constringendum hostem sufficere, relinquatur. Deinde quando occlusus ulterius se movere nequit, licet nulli sit inimico expositus aspectui, idemque etiam fatum in suo comitatu experitur. Sciendum tamen hic est, oportere adversarium tali quoque in casu præpollere calculorum numero, qui possint transponi, & ad

ni, & ad infelicem superandum regem non solum  
τῆ συνάμει sed & ενεργείαι ipsa prævaleat. Interea ve-  
ro cuneis expansis sibi invicem milites non parcunt  
sed quo citius desertum regem vincere valeant, u-  
trobique alter alterum conficit, & cæsi succedit  
stationi, unde, si semel vindicis alæ ictum sustinue-  
rit, reverti integrum relinquitur, solo excepto pe-  
ditatu, quem hac libertate nondum à rege dona-  
tum accepimus.

## SECUNDA

Latrunculus qui primus manu Antagonistæ fu-  
erit sublatus tabulâ, cuiuscunq; sit coloris & ordi-  
nis sine προσωποληψία promovebitur, nec pro libitu  
pristinæ reddetur stationi. Sic enim materia rix-  
is præripitur, industria ludentium excitatur, neq;  
adeo in longam moram tædiofa actio protrahi-  
tur. Accidit vero ut interdum sublati calculi lo-  
cus mutari non possit, occupatis scilicet, quæ re-  
spicit ille, sedibus: talem reponere & movere ali-  
um; vellicatione addita prudentius porro adversa-  
rius agat, integrum erit.

## TERCIA

Non tamen calculi pro calculis tollentur, nisi  
ad commodiores struendas infidias pateat via, &  
pars sic a adversa viribus reddita inferior regem su-

nam tueri amplius nequeat. Nam si pro arbitrio  
quivis hic agat, hoc sequitur incommodi, ut sopi-  
tis invicem bellatoribus reges non possint supera-  
ri, atque adeo frustra sit concertatum, & verum  
finem qui iucunditatis & memoriam ingenium-  
que exercendi gratia propositus est, pars neutra as-  
sequatur.

#### QUARTA.

Rex spatium, quò hostis collineat, non ingredi-  
etur, quod vulgus Germanice effert. *Es gilt nicht  
in den Schach Zihen.* Neque hìc eorum multum  
me movet opinio, qui hoc *σοιχεϊο* limitare volunt:  
quasi regi in locum sibi inimicum descendere liceat  
tum, cum latrunculus fatale illud spatium Regi ad-  
verso respiciens suo Imperatori tutelæ est, neque  
absque eiusdem extremo periculo moveri lo-  
co potest. Equidem fateor simulachra bel-  
li hunc quicquid est ludum exhibere, multumque  
cum feri Martis stratagematibus habere commu-  
nionis (hinc enim illi ratiocinantur) attamen hoc  
in super est verissimum & manet immotum: non  
trucidari sed occludi tantum & circumdari in hoc  
conflictu ludicro reges, adeo ut nullius restante ef-  
fugij remedio victus victori cedat. Consequens  
ergo est, ut quamprimum Rex inimico ab hoste de-  
signatus aspectu progredi nequeat, penes eum re-  
ponatur palma, qui ultimam ultimo ictu vim in-  
tulit.



tulit. Adde quod obijci poterat, nil audere anta-  
gonistam latrunculo eiusmodi qui & Regi ini-  
mico minatur, & simul suum Ducem defendit, sus-  
cipere, cum metuendum sibi sit, ne ubi hostem  
interfecerit, sequenti ictu & suus concidat guber-  
nator, atque ita sine victoria utrinque sit pugna-  
tum. Næ autem tales vehementer errant, & quod  
naturam schachici prælii & rectæ rationis usum  
ignorare videntur. Nam quis foret non dicam  
rex, sed verna, sed baiulus, sed de circo maximo a-  
liquis eius dementiæ morti ut sese voluntariæ ob-  
ijceret, sperans adversarium quoque suum dein-  
ceps sopitum iri. Præterea, ut satis dictum & ma-  
nifesto constat, probaturque ab omnibus saniori-  
bus ludum huncce qui callent, non trucidantur re-  
ges, sed ubi fatali symbolo schach monitis pro-  
grediendi obseptæ est via, nullus superadditur i-  
ctus, sed superior victoriam affectatam reportat.

## Q U I N T A

Si Regi hostis minitabitur inscius, idque post ur-  
num demum atque alterum ictum animadvertet,  
retexere gradus & cuncta restituere in pristinum  
non licebit. Lugeat enim occasionem oblatam  
qui neglexit, nec ob alterius incuriam tota distur-  
banda censetur acies. Erit autem hîc quoque  
curatio, ne quis duobus una vice calculis prælietur,

Regem altero adversæ aciei designando, novas altero moliendo infidias. Ita enim vel duo simul corpora bello obiicientur, vel neglectum sarcire velle videbitur is, quem aliud mens sana & studiosa æquitatis docebit. Evenit tamen aliquando, ut duobus alter pugnet latrunculis: quod si de integro fiat iure admittitur, sin prioris sit neglectus compensatio rectè impeditur. Quotiescunque ergo inimico in aspectu reges steterint, illud dato symbolo *SCHACH* indicendum ab eo erit, qui infidias locavit, sive urgente sive dissimulante altero, aut neglectus ille iacturam solus deinceps feret. Neque etiam est, ut illi hoc loco, nobis placeant, qui superstitionem loquendi formulam in vincendo rege urgent. Ac si necessariò vocula Germanica *Mat* ad minas ultimas sit apponenda, aut irrita sit facta superatio. Cum enim neque ex necessitate, neque commodi alicuius, neque decori observandi, multo minus absurdi vitandi gratia suam opinionem proponant: quidni eandem ut imaginariam ipsis remittamus? Quippe res ipsa, regi ubi a qua hæserit, loquetur, neq; impotens demum verbum hanc giganteam importabit vim. Quin imò nullam ei constitutam esse mulctam novimus, qui fatalibus illuserit imperatori minis, cum sæpe accidat, ut superatus videatur, alio tamen restante effugio. Sed instant porro *λογόμαχοι*: Ingenii esse exercitium, ingeniosè igitur omnia primùm præmeditanda,

tanda nilq; vel temerè vel supervacaneū loquen-  
dū vel necessariū negligendū esse. Verū sit ingenij  
exercitatio, sit memoriæ cōformatio, sit morū, sit  
animi, sit vitæ probatio, sit deniq; arduū, sit heroi-  
cū, sit diu quoddam schachia: hæc tamē omnia,  
quacunq; etiā lance pensitaverimus, nunquā ul-  
lam afferent necessitatem voculam illam langu-  
dulam symbolo S C H A C H copulandam esse. Quia  
enim vis ingenij & memoriæ bonitas circa ipsam  
assequēdam, rege occluso, victoriam sunt occupa-  
ta, liberum relinquitur actori vel hanc sive aliam  
addere dictionem, modo quæ schachiaē conveniūt  
operetur. Vtique manifestum & luce clarā cla-  
rius hoc est in magis arduis negociis, ut nequaquā  
irrita æstimentur propter ridiculam neglectam for-  
mulam, quandoquidem nullibi non locum habet  
illud, R E B U S I N T E L L E C T I S I N V E R B I S  
N O S E S S E F A C I L E S, quod dicitur. Si enim non  
ad *παλινοδωσιν* adigitur Theologus, si fures appellitet  
fæneratorem, hæreticum verbi D E I præconē, Ma-  
gistratum perfidum, improbum præceptorem, &  
si non illicò addat discrimen, quod vel animam  
suæ fidei commissorum, vel proximi bona rapiant:  
Si I. C. non erat ad aniles adstrictus quæstiunculas,  
quas Cicero in Mureniana examinat: Si ægro-  
tus bonitate pharmā corum, & auxilio divino re-  
vera pristinae valetudini restituitur, quamvis ipsi  
non detegat medicus, utrum Galeni, an Paracelli

illius Theophrasti sit methodum secutus : si de-  
 nique philosopho non scribitur dica, quando so-  
 phistam ostenso placiti fucō redarguit, licet non  
 semper formulam illam logicam præmiserit N.C.  
 & R. est: Quidni nobilissimi ingenuo SCHACHIÆ  
 actori liberum impeditumque fuerit, vel addere  
 voculam illam elumbem, vel absque victoriæ di-  
 spendio negligere? Quoniam non ex verbis sed re-  
 ipsa iustissima solet fieri censura.

## CAPVT SEXTVM

Ἐπιτομή

*Hic animi curis vacuo, belliq; perito  
 Technarum est opus, hinc vis valet ingenij,  
 Vt vel felicis vel iniquæ tempore sortis  
 Prudenter nôrit tela vibrare tyro.  
 Eiusque sit actorem multum meminisse necesse,  
 In tabulam ludiest forma redacta breuem.*

**H**Actenus de SCHACHIÆ origine, usu,  
 subiecto, obiecto, modo ludendi atque  
 observandis præceptis actum est: subij-  
 cere nunc animus est Coronidis loco quæ  
 spectant ad artificium & tyronem reddunt ocula  
 tiorem: Afferet autem ille, qui excellere hoc ex-  
 ercizio cupiscit, suavitatemque eius affectat: i. ani-  
 mum secu-

mū securum, curis ac molestiarum iniuriis tran-  
quillum. Etenim nullum sibi hic ius vendicat  
fortuna, non dominatur casus, sed quo ingeniosi-  
or, exercitator, cautior fuerit actor, hoc citius as-  
sequetur SCHACHIÆ palmam. II. Conflictu-  
rus cum hoste non uniduntaxat præsentique in-  
cumbet ictui: sed secundum, tertium, quartum,  
quintum etiam subsequuturos, & si potest, plures  
animo colliget, meditabitur, dispōet. Ordini enim  
neq̄ perpendere futura puerorum est, & à veræ ra-  
tionis ductu longo intervallo abscedit. III. Imi-  
tabitur etiam veros bellatores, qui quò facilius su-  
perare hostem possint, stratagemata, technas &  
varias fingunt insidias. Annitetur vt vel utro-  
que in latere strages edat, ut antagonistæ intētio-  
nem disturbet, vel iacturam principis alicuius cal-  
culi faciat, & fallaces machinetur ictus, quo he-  
roës hostilis agminis inutili inescantur præda, ma-  
iorique cum damno cædes aduersa gens deploret.  
IV. Pedites non parvipendet, quanquam mini-  
ma exercitus esse pars videantur. Nam haud mi-  
nus ac cæteri aduersus hostium incursiones regē  
immunē reddunt, &, ut supra cap. 4. ostensū fuit,  
reginæ ex iisdem quaternæ restituere iacturam  
queunt. V. Si regem qui procedit armiger  
occumbat, tempestivè rex locum mutabit, ne in  
angustias detrusus asylum quærat incassum. VI.  
Equites omnium primi stationibus exilient, ho-  
stisque

stisque insultabunt cuneis. Nam tanta huius  
est latrunculi præstantia atque usus, ut medio in  
campo, octo etiam, nisi habitentur, possit intrare  
sedes: dandaque cum primis est opera, ut si pri-  
mas adversariorum vigilias transfiliat, talem oc-  
cupet stationem, qua & regi pariterque elephan-  
ti, vel alij præcipuo bellatori fatum ultimum in-  
tentet. VII. Signiferi autem sive Elephantes cõ-  
modissime ad finem pugnae reservabuntur. Ple-  
nis enim undique campis peditum strepitu ob va-  
stam molem difficilius educi solent: quod ta-  
men actoris arbitrio sit commissum. Nam si re-  
ges anteriori turmarum parte denudantur, bello-  
nae quandoque Elephantorũ munitæ præsidio au-  
daciã vincuntur II X. Si, quem noster tyro du-  
cit imperator coangustetur & fugæ non sit locus,  
subinde tales opponet milites, qui non solum de-  
fendant eum, sed vim quoque penitus propulsent  
ac noxæ sint hostium copiis: aliàs inimicorum  
in graveſcente numero facilè edomabitur. IX. Re-  
ge vero adverso in angustias coacto, actor non de-  
sistet minitendo extrema, usque donec occlusus  
suorumque privatus subsidio se dedere tandem  
cogatur. Vt enim vir fugiens denuo pugnare  
potest, captus constrictusque amplius non noc-  
bit. X. Nemo denique sibi persuadeat se fru-  
ctus & voluptatis aliquid inde percepturum, nisi  
prius exactè omnium & singulorum latrunculo-  
rum no-

rum nomina, stationes, incessus & munia habue-  
rit cognita, Sed cum singula singulos post ictus  
actorem percurrere oporteat, & facile ut sui obli-  
viscatur propositi accidat, memoriæ ego tyronis  
consulendi gratia tabellam, à doctissimo viro &  
bene de literaria Rep. merito & merente in hunc  
usque diem quondam conscriptam, in qua uno  
omnia intuitu videri, considerari & addisci pote-  
runt, adieci. Fruere lector actorque benigne  
labore ut suaviter ut multùm, ita diu, ita beatè.

\* \* \*

## CAPVT VII

ωειοχη.

- Colluisse iuvat stimulis licet inguina acerbis*
- Rumpantur Momo, dispereatq; Codrus.*
- Lex patitur, natura iubet, bona corporis urget*
- Harmonia, interdum pellerè amara procul.*
- Pellerè amara procul soleat cum pugna latronum:*
- Gratior hoc SCHACHIÆ sic quoq; ludus erit.*



Um nulla propè reperiatur disciplina,  
nulla sit ars, nulla facultas, nulla scien-  
tia, imò doctrina vel factum etiã qua-  
lecunque sit nullum, suos quæ non pa-  
tiantur Momos ac zoilos, qui Theonino eadem  
dente arrodant, & cornicum, quod dicitur, oculis  
configant: quid mirum SCHACHIÆ quoque ex-  
ercitium

exercitium idem experiri fatum, & sinistris ob id esse expositum iudiciis? Dum.n. sua quemque prurit libido, mundusque totus regitur opinionibus, cuilibet placere & satisfacere non hominis sed ne DEI quidem esse dixerim. Sunt autem, ut breviter rem perstringam 4. potiss. vituperonum genera, quibus liberales liberalium ingeniorum exercitationes sordent. Primum eorum est, qui ex sua quoslibet iudicant naturâ, & rigidam in iuventa senii requirunt austeritatem, imò cum ipsi recreationes oderint, vel iisdem invideant, alios quoque, haud secus ac Aesopicus canis, qui dentibus frendet, qui latrat, qui mordet, qui fœno incumbens nec illo vescitur ipse, neque boves ut vescantur admittit, inde arcere conantur. Fulminant statuta & leges: Ludos omnes, cum multorum malorum occasio & causa olim & nostro tēpore sint crediti à legislatoribus esse prohibitos. Ingeminant auctoritatem imperatoriam, quod in d. Authen. Alearum usus. C. de Religiosis & sumptibus funerum, & aliæ lusu & aleatoribus, statuerit & decreverit, ut nulli liceat ludere. Quinimo ob id imperatorem conclusisse vociferant hunc paragraphum de lusu sub titulo de Religiosis, ut intelligamus prohibitionem ludi esse religiosū quiddam erga Deum. Inclamant ludum esse rem perniciosam & pravam, despondere adolescentibus bonis amissis animos, è divitibus passim pau-

sim pau-



si pauperes fieri, sacrilegos, falsarios, fures, raptores, alienis bonis inhiantes & sine regula virtutis & honestatis viventes. Intonant multos perditis substantiis bibisse venena, multos se laqueo suspendisse, alios aliter interiisse: nonnullos dato chirographo diabolo sese obligasse & mancipasse: multos quoque ob blasphemias absorptos à terra esse: alios cæleste fulmen divina operante vindicta occidisse, secundum canonistas in c. inter dilectos. de excessi. prælato. Hostiens. in summa de excessi. præl. Et alii, in c. clerici. de vita & honest. cler. Addunt denique quod Ludus propter blasphemias, in quas prorumpunt homines ob bonorum perditionem, permittat cælum infici & pestilens fieri. Authen. vt non luxur. con. natu. Affirmantque ludum esse contra bonos mores & omnem religionem, esse furem temporis, fomitem irarum, contentionum, vulnerum, cædium, atque adeo impuram, stolidam, turpem ac belluinam voluptatem, qua non honestè vivatur, qua lædatur proximus, qua non cuiq; ius suum tribuatur, & horum sexcenta alia eruçant. Sed quid respondebimus ad tot argumentorum pondus, tormenta, fulmina? Nisi, me christe, ipso- rum tecti scuto accinctique ferro essemus, actum foret de nostris viribus, imo confusi & victi ad Indos usque & extremos relegaremur Garamantes. Et quam scitè ex lege illi ludos omnes damnant:

cum eo

cū eorundē plurimos, virtutē videlicet, honorem  
ac laudē comites qui habēt ex lege concessos so-  
le meridiano sit clarius. *l. qua actioe §. si quis in col-  
luctatione. ff. ad l. aquil. & l. si rem. §. si tibi ff. de præ-  
script. ver. & l. i. §. bestias. C. de postu. & l. in executio-  
ne. §. fin. ff. de verb. oblig. & l. i. C. de athl. lib. 10. Bald.  
in rubr. de Cond. ob turp caus. l. i. c. de expensis ludorū  
lib. 10. & l. nā ludus ff. ad l. aquil. & in proœmio ff. pa-  
ragra. illud. & extr. de homi. c. cum sacer lusit Isaac.  
32. q. 4. c. recurrit. & c. lusit Ioseph cum tribunis suis.  
22. q. c. Ioseph.* Et quam pulchre imperatoriam,  
ut et autoritatē cū plus ea pro nobis, quā negocii  
culat necessitas, faciat. Alex enim tantūmodo  
ut ex citato loco cōstat, lusū imperator vetat, eius  
que abusū in argēto, apparatu, lapidibus & auro  
perstringit, Quin imo expresse ludos quosdam  
ordinat, ut sunt Corycovelon, comodiaulion, ba-  
silinda &c. modo ne ultra solidum etiam qui  
divitiis affluunt, ludant: ut si quem vinci contige-  
rit casum gravem non sustineat. Et quā pruden-  
ter incommoda ex lusu promanantia exercitiis  
ingenii, morum, honorum & virtutis rigidi illi  
Demæ & *μισωθρωτοι* adscribunt. An propte-  
rea damnabimus vinum, cum quotidie pernicio-  
sos parturiat fœtus? An fugiemus Theologiæ stu-  
dium, cum animæ naufragium in eo vacillanti-  
bus immineat? An sophistica studium logicum  
denigrabit? Agyrtarum & præstigiatorum cir-  
cum fo-

cum foraneorum temeritas in medicæ arti maculam inuret? Defædabit φιλάργυρία rabularum forensium iuris scientiam? Reicietur res per se, bona, utilis, necessaria propter abutentium improbitatem, & clades noxias? Nequaquam. Verum.

*Dum terra cælum media libratum feret,  
Nitidusque certas mundus evolvit vices,  
Numerusque arenis deerit, & solem dies,  
Noctem sequentur astra, dum siccas polus  
Versabit arctos, flumina in pontum cadent:*

Nunquam prævalebit nequitia, ut è suo volvatur cardine ius & æquum, maloque bonum cedat universo saniorum connivente choro. Illis ergo quibus præter otium, præter lusum & lucrû dulce est nihil, qui ex παρεργοῖς ἔργον faciunt, ex alieno incõmodo suû augent commodû: Non qui vitæ sciunt habere modum, quibus curæ cordique est vocatio & christiana charitas, agunt id, ut tractandis ludicris, non seriâ interim & necessaria neglexisse videantur, si se duriores esse fatebuntur, non est ut in aliis perquirendis multi simus præsertim cum cap. i. quoque hac de re actum sit, ostensumque longa serie, & excellentissimos & doctissimos homines non approbasse solum & commendasse, sed etiam usurpasse has animi laudabiles recreationes & honestas volu-

E

ptatum delicias. Deinde sunt ex altero Zoilorum grege, qui, cū ipsi <sup>ὄρεγοβωτοῦ τις</sup> inferiora alto supercilio despiciant, hunc SCHACHIAE ludū ut ineptum, frivolum, inanem accusant. Pueris convenire, quando obganniunt, simulare bella, fingere regem, scribere exercitum, facere hostiles impetus sine cæde ac vulnere: Esse viceversa virorum res ipsas emoliri, virtutum quidem adscribere sibi possessionem si malint. Ast nasturtio hi & elleboro cum opus habeant, ignari quid vituperent, minus solliciti erimus, quo pacto inimicos declinemus ictus, in primis cum nullum sit dubium æquiores fore eosdem latrunculorum censores, si eorum usum ac vim cognitam perspectamque haberent. Usque adeo verum est, quod vetus verbum habet.

*Ars non habet osorem, nisi ignorantem.*

Quod si enim res tam nihili esset schachia ludus, non profecto in omnium ferè Magnatum aulis exerceretur, abstinuissent eodem imperatores, Principes, comites, generosi & viri nobiles alii, non commendaretur à doctis, exploderetur è Rep. literaria, discentiumque excuteretur manibus.

*Sed fuit, est, & erit res utilis atque suavis*

SCHACHIA Magnatū fama & splendore celebris

Tum ex tertio calumniantium genere qui pro  
repunt

repunt, altius sibi sapere videntur, ad amissimam  
ponderantes omnia, nec sine fuce suam muni-  
entes opinionem auctoritatem crepant I. C. Alber.  
Quod in Authen. interdicimus. C. de Episcopo.  
& cleri. Ludum, dicat, schachorum pestilentem  
esse scholaribus seu studiosis, quia inebriantur in  
isto ludo, & tempus perdant, quo nihil sit carius.  
Sed quis tam obesæ est naris qui id non oderetur,  
quis tam stupido præditus est ingenio qui non videat  
abusum eodem in loco, non etiam ingenuam &  
decentem permissamque ludendi consuetudi-  
nem autorem intelligere? Ait quippe, fieri id  
debere ob duas potissimum causas, inebriatio-  
nem & iacturam temporis, quarum illa sit perni-  
ciosa, hæc irreparabilis. Quod autem Primum  
attinet inebriationem duos ea nobis sensus sup-  
peditat, quorum uno luxum in poculis, altero vo-  
luptatum illecebris implicationem atque irreti-  
tionem, adeo ut ad res serias inidoneus aliquis &  
ineptus reddatur, significari novimus. Ut ut ve-  
ro sit, utrumque ludi saltem respicere abusum est  
certum quam quod certissimum: & quod absque  
Baccho possit atque debeat exerceri, & quod vo-  
luptas non quælibet sit culpabilis, sed quædam  
honestæ, laudabilis, licita, teste Aristotele 7. *Eth.*  
c. 11. 12. & seq. Deinde licet *χρόνον πολυτελείωτατον* sit  
*ἀνάλωμα* ut Lipsius cent. 1. Epistolarum Epistola  
55. ex ore Democriti loquitur. Ac ut unda un-

dam trudit, nec revocatur unquam elapsa, ita in  
tempore dies diem; nec amissam reparemus: ta-  
men nulli verti solet vitio, si laboris absoluto  
penso, quadam voluptate exhaustas animi vires  
reficiat, & ad maiorem invitet alacritatem: cum  
non tam curæ esse debeat, quomodo & quàm be-  
ne operemur, quàm, ut operari possimus diu, cu-  
remus. Insuper ex lege patet omnē ludū virtutis  
vel recreationis vel honoris laudisve sine cupi-  
ditate & avaritia institutū esse permissum, dum-  
modo non immisceatur fraus, dolus, blasphemia  
aut aliud delictum, & fiat horis debitis ac con-  
gruis. *l. solem. §. 1. ff. de alea.* & canonistæ in dictis  
locis. Et quod caput est, expresse pro schacho-  
rum ludo concluditur, Gloss. in Authen. Interdi-  
cimus. *c. de Episco. & cler. ubi Odofr. Bald. & a-  
lij, in Rubr. de alea. C. de conditio. ob turp. caus. &  
Aug. in l. fin. §. 1. ff. quarum rerum.* Quod denique  
quarto adversantium ex numero quidam obstre-  
punt, nihil in hoc ludo dari recreationis, nihil uti-  
litatis, cum mentē potius disturbet, defatiget sen-  
sus, quos in re magis necessaria intendi oportebat,  
vires enervet ingenii, excitet noxios animi  
motus, invidiā, iram, vindictam, & quos alios e-  
gregios fætus producit *ορεξις*, qui medela non nu-  
trimento opus habeant & fomite, sedari non ex-  
citari ab ijs debeant, qui virtutibus student, rectæ  
que rationis usum excolunt. At magnam ma-  
gni illi

gni illi σοφοί & πανεπιστημοί fallaciā CAUSÆ CŌ-  
mittunt, dum quod in personis hæret vitium rei  
ipsi adscribunt. Quippe nemo facile nescit, quã-  
vis scientiam difficiliorem rudi & imperito, fa-  
cilem & expeditam esse experto, tædii illum plus  
satis, hunc melle dulciores fructus ex eadem me-  
tere. Et ut artes ob iuniorum non improbantur  
ieiunitatem atque imbecillitatem iudicii, sed in  
his dum sæpius desudarunt, tandem ubi ad illa, ut  
cum Lucretio loquar,

*Edita doctrinâ sapientum templa serena*

Pervenerunt, experiuntur, radices sanè fuisse  
amaras, at fructus esse dulcissimos: Ita in SCHA-  
CHIA quoque comparatum esse constat, ut licet  
tyroni eadem primû plus negotii facessat quàm  
gaudii ac suavitatis affundat: tandem tamen ubi  
secretiores eius perreptavit recessus, sine mole-  
stia sese ullâ ex animi sententia eâdem recreat at-  
que restituit. Ut neque illud fundamento niti-  
tur, fomes quod sit vitiosiorû affectuum, cum ve-  
rius χαρακτήρ & certa credatur δοκιμασία qua ut Ly-  
dio lapide aurum, sic ingenia & mores hominum  
cognoscere & diiudicare possumus. Quo pa-  
cto illustriores Gothi & Sueones solent cû pro-  
cis suis agere, quibus filias suas locare volunt, ex-  
aminantes eorum animos latruncolorum ludo  
miris passionibus, ut pateat, an procus agrestis sit,

quod subito triumphando indiscretè exulet, aut iniurias illatas cautius pati, vel modestius avertere nōrit. SCHACHIAE enim ludo, ut *Ol. Mag. Gothus lib. 15. c. 12. historia de gentibus septentr. refert* ira, amor, petulantia, avaritia, socordia, ignavia, aliæque plures dementiæ passiones & animi motus, fortunæq; vires & proprietates demonstrari solent. Quamobrem cum schachiæ mastyges quod volebant, audierint, extremam labori huic manum impositurus rogatos volo omnes censoriæ qui eum virgulæ subiicient, ut si quid minus ex arte vel rationis acumine scriptum deprehenderit, materiæ partim adscribant simplicitati & tenuitati: partim obsequendi studio. Quippe saniorum secutus iudicia, quid communiter vulgus sentiat, lubens præterii, Et quid quæso in ludicra hacce & umbratili scientia præter humile dicendi genus, præter autoritatem doctorum virorum, præter animi promptitudinem quispiam desiderarit? si enim ubi desunt vires, etiam voluisse bene, gratū est: si ubi certis destituimur præceptis, autoritates, & quid propius rationis puritati accedit, amplectimur: quidni hac ego in materia veniam merear, qui multis attractus precibus & imperatis eorum quibus resistere piaculum mihi duxerim, non proprio ex cerebro aut sordidis abditæ rationis lacunis, sed bonorum & eruditorum hominū iudicio, certis & quotidie  
obviis



obviis documentis hanc SCHACHIÆ enodationem  
παχυλῶς quidem & ὡς τύπω breviter tamen  
& suo ordine scribere publiciq; facere iuris sum  
aggressus? Certâ fretus spe multis qui otium  
aliquando hoc exercitii genere fallere voluerint  
laborem hunc qualemcunq; non solum gratum,  
sed & utilem ac propè invitationem lima-  
tioris alicuius ingenii esse  
futurum.

F I N I S.

E 4



AD SCHACHIÆ STV  
DIOSVM



æc pingui auctorem placuit monuisse Mi-  
nervâ

Quem schachia illustris grata cupido  
tenet.

Pectore ego prompto monitus meliora resumam,  
Atque sequens melius post μελέτημα feret.

Quisquis es ergo aciem mentis visusq; suavi  
Leticia exacuens schacchica bella move.

Difficilis labor est, quem tristior aura fatigat,  
At facilis ridet cui pretiosa quies.

Qui valet ingenio, potis est meminisse, nec altâ  
Vi premitur scelerum, est cui sine lite domus:

Quem penes est posse ardenti moderarier iræ,  
Atque equâ sortem mente subinde pati.

Hac dote instructum nil technæ ictusque moerentur  
Audaces, quibus hic pars inimica valet.

Non, malè si primo congressu ceaserit, omnem  
Abijciat schachia sensum animumque tyro.

Pulchrum est sylvestri calamo trivisse labellum,  
Pulchrius at gratum posse sonare melos.

Qui sophia callet præcepta meretur honorem:

SOLUS AT ARTIFICEM QUI FACIT VSUS ERIT.

Sic quoque nosse huius quæ sunt primordia ludi  
Est aliquid, iuvenes exhilaratq; animos.

Sæpius

*Sæpius alternis verum hunc iterasse fritillo  
Ancipiti vicibus, laudis & artis erit.*

L. W. L.

Epigramma  
Ad

LUCAM WIELIUM LIGIO-SI-  
LESIIUM, IN SCHACHIÆ LUDUM  
commentaria edentem, amicum  
intimum

**S** Cilicet hos lusus veterum censura probabat,  
Qui non expertes utilitatis erant.

*Quæis erat ingenij promptum cognoscere vires,  
Quæ spes de quovis concipienda foret.*

*Quando igitur lusus reliqui hoc præstare videntur  
Ec cur non præstet SCHACCHIA ludus idem?*

*SCHACCHIA ludus idẽ, si quicquã indico, præstat  
Exacuens penitos ingenij usq; tholos.*

*Multum igitur mereris tu LUCALaudis, amœnum  
Hunc ludum tantã quod brevitate doces.*

*Premia digna VIDAM remanent, & laurea vatẽ  
Exornat, SCHACHIÆ qui fera bella canit.*

*Gratia teque omni doctũm remorabitur ævo  
Quod verã illustras utilitate μέλος,*

*Tamq; utrinque acies aptè disponis, ut omnes  
Hanc pugnam pugnent, ordine quisq; suo.*

*Huc vos, huc igitur quotquot gravioribus estis  
Exhausti rebus convolitate viri.*

E S

*Hic miles poterit vestras profligere curas,  
Atq; animo robur deïn renovare suum.  
Sed iam procedunt acies, & pugna calescit  
Dum licet, hinc salvâ me cute proripio.*

Iohannes Schultze  
Insterburgensis Borussus.

ALIVD

Ad amicum exoptatissimum Lucam Wielium  
Ligio-filesium

*S*eria mixta iocis; requies adiuncta labori;  
Cum gravibus multum ludicra mista iuvant;  
Sic animis vires redeunt, sic robor a membris,  
Corpore sic toto luxq; vigorq; manet.  
Continuè intensus cum cortice rumpitur arcus:  
Plusq; refert frugis qui requievit ager.  
Sæpe Thalia vacat per amœna vireta resultans,  
Sæpe canit Phœbus, ludit & ipse chely.  
At genus est varium ludendi, gaudia mille,  
Mille voluptatum semina, mille ioci.  
Alea num potior? num tessera, numq; palestra?  
Nervis apta fides, sphaera vel ipsa prior?  
Haud reor: incerta siquidem ludibria Sortis  
Hæc vel sunt; nihil aut utilitatis habent.  
Vnica sed philometri SCHACHIA machina Xerxis  
Prestat præ reliquis Martis, & artis opus:  
*Quiq;*

Quiq<sub>3</sub> latus latè latitans latrunculus ambit  
REGIS: REGINÆ regnareclusa refert.  
Ergò veni properè Musis dicata iuventus,  
Pectora quæ studio fessa levare petis,  
Hæc cupida versato manu, versato frequenti  
Schachica scripta vice, & WIELIANA lege.  
Ingenium subtile feres, hinc mentis acumen,  
Consiliūmq<sub>3</sub> sagax, iudiciūmq<sub>3</sub> feres.

Daniel Hugwartus  
Argentinenſis.

### Aliud

Piè docto, ornatoque iuveni viro Lucae Wielio,  
amico & fratri suo appo-  
nebat:

**H** Vc, dum Castalides suum relinquunt  
Et fontem, atq<sub>3</sub> apices, adeste leti,  
Dum lætae Charites amena tempe  
Exquirunt, ociūmq<sub>3</sub> voce poscunt,  
Huic nostro iuvenes favete ludo.  
Vos, dum puniceas rosas thymūmq<sub>3</sub>,  
Dum myrthos & amaracum capeſunt:  
Dum lætae saliunt, aguntq<sub>3</sub> lætas  
Certatim choreas Deæ per herbas,  
Lusum proripite: & benè ominantes

611 N

Nunc & duritiem Catonianam  
Nunc & Socraticos (licet) libellos  
Impune è manibus reponitote:  
Surreptim schachicos inite lusus:  
Certatim scachicas ciete pugnas:  
Donec per iuga denuò recurrant,  
Donec Castalias aquas revisant  
Defesse Charites viâ & choreis.

Si qui ludere fortè nesciant, mox  
Hunc ad tendite primulum laborem,  
Quem edunt delicia Wielianæ.

Hunc florem capite omnium lepörum,  
Iste deliciaeq<sub>3</sub> gratiaeq<sub>3</sub>  
Curis inter edacibus polantor;  
Interq<sub>3</sub> aspera multa blandiuntor

Et Musas Schachia addecet decoras:  
Et Consum schachia addecet severum:  
Et sceptrum Schachia addecet serenum:  
Et ludus decet hic Lares honestos.

Hic Bellonula belliora bella  
Hic & Marticulus tumultuosas  
Pugnas excitat usq<sub>3</sub> & undecunq<sub>3</sub>.  
Quando discolor acies aperto  
Stat campo, & similis ferocienti  
Strages dulciculas cit undequaq<sub>3</sub>.

Hinc castra, hinc aciem severiorem  
Et bellum meditaberis, minasq<sub>3</sub>  
Telorum, quibus iciendus hostis.

Vtq<sub>3</sub>

*Vtq̄ hunc impete diruas feroci,  
Turmasq̄ impiger hostium fatiges  
Addisces sub imagine incruenta.*

*Hinc quantum Populiq̄ amor Ducisq̄  
Ad gratum decus Imperi & tenorem  
Momentum videas licet refundat.*

*Ergò quos amor extulit Sophia,  
Et Musas colitis benigniores;  
Et quotquot genus extulit per alta;  
Huic nostro pariter favete ludo,  
Et pulchro, & lepido, & venusto: & usq̄  
Dignum sorte sua fovete ludum.*

Sigismundus Rüdellius  
Gorlicensis. Lufatus,

## AD SCHACHIAM

**E** *St aliquod spatium Coe; dum vena poësi  
Inter missa tacet, bella parare necis.*

*Est armata togis, armisq̄ togata; perita  
Inter utrumq̄; valent Martia, vel Sophia.  
Nomine nobilior lēma hoc: EX COESAR VTROQUE,  
Augustus tenuit: regna beavit amor.  
Aiacem vicit Smyrnœus; & Hectora Achilles;  
Voce, lepore, jocis: ense, ligone, manu.*

*Artibus*

*Artibus opprimitur Midas; nec scit Cato Martem;  
Quis sit? sic docilis lusus utrumq; docet.  
Vis me pacatum; vis me pugnacem; in utroq;  
Pugno; sed medijs utraq; mista placent.  
Discite: ne lateri noceat; vel stigmata inurat  
Hostis Athenæis; vivere utroq; pares.*

Iacob: Tackius  
Saxo Hall,

Σφάλματα Typographica.

*Literâ b. folio 7. Versu 22. pro ἀπνευσί lege ἀπνευσί. lit.  
e. f. 5. v. 9. pro εἶτⓄ lege εἶτⓄ. ib. v. 12. pro πέσῃς lege  
πίσῃς Et pro ἀξίγίας lege ἀζυγίας. εἰ f. 7. v. 48. pro πόλεις  
l. πόλεις. ibidem v. 50. impone spacio πόλεις. Reliqua Be-  
nevolus lector sua restituet industria.*







... **E** ... **S** ... **C** ... **D** ... **E** ... **F** ... **G** ... **H** ... **I** ... **K** ... **L** ... **M** ... **N** ... **O** ... **P** ... **R** ... **S** ... **T** ... **V** ... **X** ... **Z** ...

... **A** ... **B** ... **C** ... **D** ... **E** ... **F** ... **G** ... **H** ... **I** ... **K** ... **L** ... **M** ... **N** ... **O** ... **P** ... **R** ... **S** ... **T** ... **V** ... **X** ... **Z** ...